




HISTORIA
DE
MAGNO
SCHISMATE
OCCIDENTIS
IN
COMPENDIUM
REDUCTA,
ET
TOMIS DUOBUS
COMPREHENSA.



A

P. MAXIMILIANO WIETROWSKI,
è Soc. JESU, Sacræ Theologiæ Doctore, & Archi-Episcopalis Consistorij Pragensis Assessore.

CUM LICENTIA ORDINARII.



VETERO-PRAGÆ Typis Caroli Joannis Hraba. M. DCCXXIV.

REVERENDISSIMO

ET

AMPLISSIMO

DOMINO

THOMÆ

BUDECIO,

Sacri Ordinis Cisterciensis Celeberrimi, & Exempti Monasterij Aulæ Regiæ in Sbraslavv,

ABBATI,

Regni Bohemiæ

PRÆLATO.

REVERENDISSIME
ET
AMPLISSIME
DOMINE
ABBAS.



Agnum Schisma Græcorum in Oriente, quod nuper in lucem prodiit, florentissimum Constantini Magni Imperium in funestam præcipitavit ruinam, & Ecclesiam Dei gravissimis calamitatibus longa annorum serie afflixit, & supremam Sedis Apostolicæ authoritatem acerrimè impugnavit; Eam tamen dum evertere Schisma niteretur armis fortissimis, sua impugnatione mirificè roboravit & firmavit. Post aliquot sæcula funestum in Occidente Latinorum Schisma peperit ambitio, monstrũ horrificum, quod rursus Ecclesiã Catholicam, vestem inconsutilem Salvatoris Mundi, lacerabat, totámq; conturbabat Europam, in tria divisam Capita; quibus Ecclesiæ indivisibilis unitas in diversas miserè discindebatur obedientias. Sed enim, etiam hæc intestina Latinorum tristissima separatio, ità demum sub unico Christi in terris Vicario coaluit, ut centro unico, unitatis fidei & veræ Christi Ecclesiæ firmissimè stabilito, nulla deinceps talis inter Christianos divisio plura sibi Capita erigere ausa fuerit; adeò, ut Hæretici temporum nostrorum, cùm multiceps idolum adorari in Ecclesia, non concederetur, ab unico etiam & legitimo Capite, sorte sua infelicissima & lamentabili, sibique perniciosissimo

Schisma-

Schismate, sese absciderint; & simul à totò Ecclesiæ veræ Corpore segregati, sinè Pontifice, sinè Ecclesia, sinè vera fide, sinè Religione, denique sinè Pastore, per avia & devia tenebrarum extra Ovile Christi aberrantes, inter steriles solitudines, omnibus salutaribus veræ fidei pascuis destituti, maluerint vagari. Sic nimirum infatuatur cæca hæresis, quæ dùm plura Ecclesiæ Catholicæ Capita, qualia olim durante hoc Schismate occidentis fuerunt, non improbandâ ratione aversatur; in aliud extremum clausis voluntariè oculis proruit, & nullum, quantumvis legitimum, admittit.

Infaustas perturbationes, quas Schisma hoc Latinorum in Occidente causaverat, in Historia ista, quam de hoc Schismate honori Tuo Reverendissime & Amplissime Domine Abbas, *cum debita veneratione offero; non quidem sinè admiratione comperies, sed etiam, non solùm varietate magnorum eventuum tuam eruditionis Ecclesiasticæ avidam oblectabis mentem; verùm etiam dulci voluptate animum unionis, pacis & concordiæ studiosissimum pasces: Tibíque lætus, de suavi, & paterna gratulaberis gubernatione, quâ Cœnobium, cui Te Divina præfecit Providentia, nonnisì Legibus de Cœlo haustis, secundùm veræ sapientiæ, atque prudentiæ, quæ est in Christo JEsu, omnibus nota, & ab omnibus laudata, dictamina regis. Ex hac tam beata gubernandi arte, promanat ille tenerrimus religiosissimorum filiorum tuorum erga* Te, *amabilem Patrem amor; quem* Tua *erga illos Paterna dilectio, non solum blandè provocat, sed mira etiam & suavi quadam necessitate, sinè violentia extorquet: ità ut neque illi* Tuo *in eos paterno amori valeant, non redamando resistere; neque* Tu *eorum filiali pietati & dilectioni valeas obluctari. Quid porrò mirum sit, quòd in Cœnobio celeberrimo & Antiquissimo Aulæ Regiæ tam beata vigeat, concordia, támque Sancta regnet Charitas, & optatissima membrorum inter se, & cum Capite floreat conjunctio ubi sancto amore mutuo certatur, dum Caput amore suo membrorum superare satagit amorem, & membra dilectione sua vincere contendunt sui Capitis amorem: Juvat hìc meminisse, quàm beato quodam complexu duo flumina Moldava & Berauna, sub ipso Sacri Cœnobij Aulæ Regiæ muro, sese permisceant, quasì laudatam illius Cœ-*

nobij

nobij unitatem, indesinenter nuntiarent; dum unum in alterum ità se infundit, ut amisso etiam nomine suo, alteri arctissimo sese conjungat nexu, & non jam duo, sed unum sit flumen. Sic nimirum Filij tui charissimi sese in tuum paternum, amore plenum immergunt sinum; ut non duo sint, Filij & Pater; sed quisque Filius, totus Pater; & Pater, totus quisque Filius: id quòd ardentissimè cupiebat Filius Dei; * Pater Sancte serva eos, in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. * *Joan.17*

Hæc nimirum Tua *est felicitas* Reverendissime & Amplissime Domine Abbas; *hæc sit* Tua *gloria, quòd non rigore, sed amore corda tuorum vincere ac devincire noveris; atque ità devinctos ad sublimem sanctitatem & præcelsos Religiosæ virtutis gradus cum immortali* Tuo *merito & gaudio, suavi fortitudine & forti suavitate promoveas. Vive ac delectare hac* Tua *felicitate ad multos annos: quos dum* Tibi *cum devotissima observantia constanter advoveo; sinè intermissione maneo.*


Reverendissimæ Amplitudinis
Tuæ

Pragæ 22. Febr. 1724.

Obstrictissimus Servus in Christo
MAXIMILIANUS WIETROWSKI. S.J.

FRANCISCUS RETZ,
per Provinciam Bohemiæ Societatis JEſu
Præpoſitus Vice-Provincialis.

Cùm Librum, cui Titulus: *Hiſtoria de Magno Schiſmate Occidentis, in Compendium reducta*, à P. MAXIMILIANO WIETROWSKI, Noſtræ Societatis Sacerdote idiomate Latino conſcriptum, tres ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, & in lucem edi poſſe judicaverint; Poteſtate à Patre noſtro MICHAELE ANGELO TAMBURINO Præpoſito Generali ad id mihi data, facultatem concedo, ut liber Typis mandetur. In quorum fidem has literas manu mea ſubſcriptas, & Officij mei Sigillô munitas dedi. Pragæ ad S. Clement. 28. Januarij Anno 1724.



FRANCISCUS
RETZ.

SYNOPSIS LIBRORUM.

TOMUS I.

LIBER I.

ARgumentum hujus Historiæ, ex quo hæretici nihil proficiunt. Translatio sanctæ Sedis in Urbem Romanam à Gregorio XI. Status Romanæ Urbis. Studia Romanorum, pro obtinendo Pontifice Romano vel Italo. Variæ Pontificum electiones. Conclave, in quo electus est Urbanus VI. Romani exigunt in Conclavi Papam Romanum vel saltèm Italicum. Magna violentia pro eo obtinendo. Electio Bartholomæi Prignano Archi-Episcopi Bariensis, qui assumit nomen Urbani VI. Ejus imago, elogium, & mutatio in Pontificatu. Ejus nimia severitas. Cardinalium Ultramontanorum studia contra Urbanum VI. Qui cum Regina Joanna I. rumpit pacem. Recessus Cardinalium Anagniam, & Fundos, ubi post declaratum Bartholomæum Prignanum intrusum ad Pontificatum, eligunt Cardinalem Gebennensem sub nomine Clementis VII. Cardinales Itali amœnè decipiuntur. Divisio duarum obedientiarum. Urbanus sua severitate amittit Regna Hispaniarum, quæ ab illo recedunt. Rex Galliæ Carolus V. examinat hoc negotium in Comitijs Regni, & pro Clemente VII. se declarat. Bellum inter duos Pontifices. Audax facinus Silvestri de Budes Romam obruentis. Pugna ad Marinum, ubi Clementini caduntur. Clemens Papa Neapolim se recipit: contra quem & Reginam, tota Urbs insurgit. Tandem se recipit Avenionem. Contumaces Romani, generositate Urbani domantur.

LIBER II.

URbanus Papa ex odio contra Reginam Joannam confert investituram Regni Neapolitani Carolo Dyrrhachij. Extrema ingratitudo

do Caroli contra Reginam, quæ adoptat Ludovicum I. Ducem Andegavensem. Mors Regis Caroli V. Ejus imago & elogium. Controversia Ducis Andegavensis, cum Clemente & cum Universitate Parisiensi colludentis. Regnum Castiliæ accedit Papæ Clementi. Carolus Dyrrhachij bellat contra Reginam Joannam: ejus mors elogium & imago. Crudelitas Cardinalis Sangrij. Infelix profectio Urbani Neapolim. Expeditio Henrici Spenser Angli contra Clementinos & Gallos. Mira punitio sacrilegij commissi contra imaginem Beatissimæ Virginis. Mors Ludovici Andegavensis, elogium & imago. Joannes Wiclef Schisma excitat, & suam hæresim evulgat. Magnæ perturbationes inde secutæ in Anglia. Concilium Londinense contra Wiclefum & ejus discipulos.

LIBER III.

NOvæ controversiæ inter Papam Urbanum & Carolum Dyrrachij. Conspiratio contra Urbanum. Crudelis executio contra Cardinales accusatos. Obsidetur in Castro Noceræ & à Clementinis liberatur. Mors funesta Caroli Dyrrhachij in Hungaria. Ejus imago & elogium. Mors tragica Elisabethæ Reginæ Hungariæ. Ladislaus Successor Caroli. Revolutiones Neapoli. Urbanus frustra conatur occupare Neapolim; ubi Clemens pro Pontifice agnoscitur: uti etiam in Regnis Arragoniæ & Navarræ. B. Petrus Cardinalis de Luxemburgo in eadem fuit obedientia Clementis. Celebre Judicium de Immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis contra Theses scandalosas Joannis de Monson. Mors Papæ Urbani & ruina totalis, domûs ipsius. Electio Bonifacij IX. imago & elogium. Laudabilis Zelus pro exstinguendo Schismate Universitatis Parisiensis & Carthusianorum. Mors Clementis; ejus perfectiones & defectus. Electio Papæ Benedicti XIII. ejus imago & elogium. Ejus fuga & fraudes. Collusio cum suo concurrente. Parisijs decernitur via cessionis, quæ à plerisque Principibus Christianis approbatur. Colloquium Regis Galliæ Remis cum Wenceslao Imperatore. Parisijs decernitur subtractio obedientiæ Benedicto, qui in suo Palatio obsidetur, & fugâ se salvat. Ejus gesta fraudulenta. Papa Bonifacius moritur, & Innocentius VII. eligitur. Ejus elogium & imago.

TO-

TOMUS II.

LIBER IV.

MOrs Papæ Innocentij VII. & Electio Gregorij XII. Ejus elogium & imago. Post bona innitia colludit cum Benedicto. Deseritur à suis Cardinalibus, Pisas recedentibus. Benedictus fugit in Cataloniam, & Perpiniani celebrat Concilium. Conferentia Cardinalium utriusque obedientiæ. Indictio Concilij Pisani, in Diæta Francofurtensi recepta. Schisma Leodiense.

Historia Concilij Pisani, cui se opponit Imperator Robertus. In Concilio isto deponitur Gregorius & Benedictus; & Alexander V. eligitur. Ejus elogium & imago. Concilium Austriæ in foro julio celebratur à Gregorio XII. Transvestitus fugit. Historia de hæresi Joannis Hus. Fraudes hujus hæretici & perturbationes Pragæ ab eo causatæ; ubi Universitatem imminuit, quæ se illi opponebat negligentia extrema Regis Wenceslai in hâc occasione. Schisma in Bohemia pro communione sub utraque specie. Magnus Zelus Svinconis de Hasemburg Archi-Episcopi Pragensis, qui expulit Joannem Hus. Mors hujus magni Prælati, & elogium. Ejus successor Albicus, homo brutalis & avarus Joannem Hus Pragam reverti passus est. Papa Alexander sanctè moritur. Elogium Joannis XXIII. & imago. Sigismundus Rex Hungariæ eligitur Imperator. Insolentia Husitarum Pragæ. Colloquium Sigismundi Imperatoris cum Rege Galliæ; dein cum Pontifice Joanne. Convocatio Concilij Constantiensis. Tom. 2. *Pag.* 81.


LIBER V.

HIstoria de Concilio Constantiensi. Descriptio Urbis. Initium Concilij. Adventus Sigismundi Imperatoris. Ejus imago & Elogium. Superbus ingressus Archi-Episcopi Moguntini Constantiam. Jungit se Friderico Duci Austriæ, & Joanni Duci Burgundiæ in defensionem Pontificis Joannis XXIII. qui promittit cessionem. Diffidentia & controversia inter eum & Concilium. Fugit Constantiâ; contra quem agit Sigismundus. Pontifex capitur, custoditur, condemnatur & deponitur. Historia de Schismate sub Symacho Papa Cessio Gregorij XII. in plena

no Concilio facta per Procuratorem. Condemnatio Joannis Hus & Hieronymi Pragensis; atque Doctrinæ Joannis parvi de Tyrannicidio. Tom. 2. Pag. 108.

LIBER VI.

PRofectio Sigismundi in Arragoniam ad promovendum Petrum de Luna ad cessionem. Pertinacia hujus existimati Pontificis, qui Paniscolam se recepit. Reges Hispaniæ ei subtrahunt obedientiam. Benedictus judicialiter deponitur in Concilio. Electio Martini V. Pontificis. Ejus elogium & imago. Finis Concilij Constantiensis. Pontifex in Italiam revertitur, & Florentiæ moratur, ubi Balthasar Cossa, aliàs Joannes XXIII. illum pro vero Papa agnoscit, & denuò cessionem facit. Mors & elogium hujus Pontificis. Controversia inter Pontificem & Alphonsum Regem Arragoniæ, qui accedit Petro de Luna, & Schisma renovat, quod videbatur extinctum. Mors Petri de Luna, aliàs Benedicti XIII. & elogium. Alphonsus cogit duos Cardinales, qui Benedicto restabant ad eligendum successorem, qui fuit Egidius, Munios, sub nomine Clementis VIII. Negotia Alphonsi contra Martinum V. in Concilio Senensi. Legatio Cardinalis de Foix in Arragonia pro extinguendo Schismate. Subitanea mutatio Alphonsi in favorem Pontificis. Egidius Munios, dictus Clemens VIII. deponit Pontificatum, & Schisma penitus exstinguitur. Tom. 2. Pag. 140.



HI.



HISTORIA DE MAGNO SCHISMATE OCCIDENTIS, IN COMPENDIUM REDUCTA.

TOMUS I.

LIBER I.



Uper in lucem dedimus in Compendio Historiam de Schismate, quod Ecclesiam Orientalem ab Occidentali separavit, rebellione Græcorum contra Sanctam Sedem Apostolicam Romanam, cum hæresi consequente contra plures Fidei Catholicæ Articulos. Nunc describere aggredimur illud aliud Schisma, quod sæculò decimò quartò totum divisit Occidentem absque hæresi, & absque omni supremæ Authoritatis Ecclesiæ Romanæ læsione. Néque enim ulla intervenerunt studia, subtrahendi se ab obedientia Sanctæ Sedis, neque ulla tenebantur contraria Fidei Catholicæ dogmata; néque usus & consuetudines diversæ, urbium, Rerumpublicarum, Regnorum, & universim omnium populorum Christianorum in Europa, qui in hoc Schismate involuti erant, condemnabantur. Omnes in eandem Fidem consentiebant, & Apostolicam Sancti Petri sedem, tanquam centrum unionis Christianæ atque Catholicæ agnoscebant. Infausta hæc divisio, solùm ex diversitate prognata est Capitum, quibus populi inter se divisi intrà Ecclesiam adhærebant, illum pro vero Sancti Petri successore tenentes, pro quo se declarabant.

Verum est, quòd hujusmodi Schismata persæpe miserandum in modum, intrusione falsorum Pontificum dilaceraverint Ecclesiam, & post damnabilem ausum ambitiosi Novatiani, Ecclesiæ Romanæ Presbyteri, qui contra Sanctum Pontificem Cornelium insurrexit, & occultis molitionibus Novati Episcopi hæretici Africani, se in Romanum Episcopum sacrilegè ordinari fecit, primum in Ecclesia Schisma formaverit, & hoc de quo scribimus vigesimum nonum fuit, quod Catholicos à Communione inter plura divisit Capita Ecclesiæ, quæ secundùm omnes Leges, Divinas & humanas, nunquam nisi unicum, & in persona unica potest habere. Sed fatendum est, quòd alia illa, quæ ab undecim sæculis fuerant Schismata, tametsi multas causaverint perturbationes, nunquam tamen adeò funestam pepererunt, quæ comparari possit cum isto, quod sinè controver-

255. Cypr. ep. 42. 45. Euseb. l. 7. c. 37. Socr. l. 4. c. 28.

sia, cæteris omnibus erat perniciosius & magis diuturnum, sive spectetur numerus, sive Potentia, sive conditio Populorum & Regnorum, quæ dividebantur; sive etiam mala enormia in tota Europa universim causata; sive denique attendatur difficultas extrema, & quædam, si dicere fas est, ut multis videbatur, impossibilitas moralis, Verum Pontificem ab Antipapis discernendi. Ità quidem ut totum Concilium Generale, infallibili Sancti Spiritûs assistentia provisum pro decernendis omnibus, quæ ad fidem pertinent; existimaverit se non habere sufficientem in illa occasione claritatem, ad has tenebras dissipandas, & sententiam de jure partium pronuntiandam. Postmodùm autem pro via secura in tantis tenebris ineunda censuit, agendum potiùs esse authoritate, quàm disquisitione; utendùmque suprema, qua pollebat, potestate, duos existimatos Pontifices deponendo, ut legitima & indubitata electione unum tandem Ecclesiæ Caput constitueretur, cui augusta hæc dignitas controverti absque manifesta rebellione non posset.

Sic tempore illo infausto, quale nunquam antehac fuit, & verosimiliter nunquà erit, Schisma visebatur, per totam diffusum Christianitatem, quin tamen veri & formales Schismatici reperirentur, ùt quidam scripsit Historicus. Quanquam non desint, probabiliùs qui censeant, Cardinales contra Urbanum VI. adhærentes Roberto ex Comitibus Gebennensibus Antipapæ sub nomine Clementis VII. verè ac formaliter Schismaticos fuisse. Imò S. Catharina Senensis in suis Epistolis dictum Antipapam Clementem & Anti-Cardinales illius vocat dæmones, eósque ùt tales execratur: Proinde quòd ea tempestate formales non omnes fuerint Schismatici, intelligendum est solùm, de populis alterutri parti adhærentibus, videlicet, qui propter ignorantiam facti, & fundati in facto juris, fuerunt excusandi: unde etiam

Papebroch. Propyl. Maji. p. 2. pag. 103. n. 7.

ibid. p. 102. n. 5.

contigit, non minùs in Clementina, quàm Urbaniana parte, repertas fuisse personas Sanctitate atque etiam miraculis illustres: cum ea tamen differentia, quòd Clementinæ partis, haud facilè inveniatur, qui ei promovendæ adversùs alteram positivè adlaboraverit. Urbanianæ verò causæ, non solùm dictis factisque suffragatæ sunt tres Sanctæ Virgines, verùm etiam singularia præsumendæ auctoritatis attulerunt momenta, quæ salva pietate rejici vix possunt. Cùm verò contradictorijs de subjecto eodem assertionibus, nulla juris ignorantia excusabilibus, proceditur, quarum alteram necesse est falsam esse, consequens fit, alterutrius partis capita, asseverando Urbanum liberè vel coactè, à se & à suis Collegis electum fuisse, formaliter ac peccaminosè Schisma fecisse; qui proinde potuerint tractari perstringique ùt tales, à personis divinitus illustratis; qualem fuisse quidem S. Catharinam Senensem piè credere possumus, attento modo, quo suas ipsa passim dictabat Epistolas. De B. verò Ursulina Parmensi multò etiam minùs videtur posse dubitari, supposita veritate historiæ, quæ de illa habetur; quæque quoad occasionem Schismatis tot humanis testimonijs, & jurata Sanctæ Catharinæ Vastinensis asseveratione firmatur.

Ibid. n. 6.

Plura de illis Virginibus referuntur, ex quibus colligi potest, Gregorium XI. non deceptum ab illis, sed jussu DEI sanctam sedem Avenione Romam transtulisse; imò alius scriptor & ipse Gallicanus, tametsi relationi supra memoratæ favere videatur, scribens de Gregorio XI. dum ait: Obijt Romæ sexto Kalendas Aprilis, cum sedisset annis septem, ac ferè mensibus tribus: paulò ante mortem doluit, se revelationibus attribuisse fidem, & ea præstitisse, quæ moriens non esse facienda cognoscebat. Priùs tamen, sequentia præmisit: *Hoc anno Gregorius toto Cardinalium Senatu reclamante, Genuam, inde Cornetum navigavit* Avenio-

Philipp. Briet. Chron. univers. ad ann. 1378. p. 731.

p. 720.

tione, *inter tempestates, contemptis precibus Parentis sui tunc superstitis, ac duorum fratrum suorum, ut scribit Theodorus à Niem, ejus Comes, Deo videlicet uno fretus, quem ut itineris ejus authorem, sic etiam sperabat Ducem.* Si ergo Gregorius itineris hujus authorem habuit Deum, quomodo de illo in morte doluit? & præstitisse dicitur, quæ moriens non esse facienda cognovit? Hac tamen antilogia non attenta longè cautiùs processit Brietius, quàm Author, contra quem agimus, dum iste nullam fidem revelationibus personarum, tribuisse dicit Pontificem in morte, ubi se deceptum credebat. Profectò ista minimè cohærent. Neque sequitur, ideo Sanctam Birgittam & S. Catharinam Senensem fuisse deceptrices, quia in morte doluit Pontifex; quandoquidem hanc sedis Apostolicæ translationem, non tantùm nominatæ Sanctæ, sed, exceptâ solâ ferme Galliâ, totus exoptaverit, desideraverit, & suaserit Orbis Christianus, ùt videre est apud Petrarcham in Epistola, quam de hac ipsa rescripsit ad Pontificem. *Petrarcha.*

Verum enim omnino est, inter partes dissentientes fuisse Viros Magnos, Celebres Jurisconsultos, Doctissimos Theologos, integras Universitates, atque etiam Sanctos, à revelationibus & miraculis claros. Ex utraque parte præsumptiones vehementes, conjecturæ fortes, & argumenta plausibilia militabant, quibus animi vel determinari vel saltèm suspendi poterant, prout magis vel minùs tangebantur, & movebantur. Inde factum, quòd unusquisque bona fide illi adhæserit, quem sua natio post maturam deliberationem ùt Verum agnoscebat Pontificem; vel si in tanta perplexitate argumentorum contrariorum se resolvere ad unum certum non poterat, aliqua natio vel Provincia, nulli adhærebat, & sententiam decisivam totius Ecclesiæ in Concilio Oecumenico repræsentatæ expectabat.

De reliquo, non est, cur Libertini & Protestantes Ecclesiæ Romanæ insultent: occasione tantarum perturbationum, quas hoc Schisma in toto Occidente produxit iniquis studijs eorum, qui se, contranitente universâ Ecclesiâ, conservare in sede Pontificali, quam occupabant, conabantur, quin certum interea esset, quis eam jure possidere deberet: Sanctus Paulus Apostolus ab ipso Christianæ Religionis principio, prædicebat, fore, ut præsupposita hominum, instabilitate, secundùm ordinarium naturæ cursum, quem Deus non semper miraculis gratiæ suæ sistit, hæreses, divisiones, & Schismata sequantur. Sed Optimus Deus, melius putavit ex malis bona facere, ùt ait Sanctus Augustinus, quàm mala nulla permittere, imò ex malis majora bona potentiæ suæ atque infinitæ Bonitatis admirabili prodigiô elicit pro sua gloria; & mirabilia opera sua, virtutémque eorum, quos tanquam instrumenta elegit, facit inclarescere. Nunquam Primatus Pontificis quàm durante Schismate Græcorum, solidiùs firmatus fuit, per Viros Magnos, quos Deus ad illum tuendum excitavit contra Schismaticos illos, sæpissimè compulsos, ad eum agnoscendum, eo ipso tempore, quô illum deturbare studebant, & nunquam unitas Sanctæ sedis, ad quam omnes Christianitatis Ecclesiæ tanquam lineæ in suo centro, ex quo emanant, reduci debent, meliùs conservata fuit, quàm in hoc magno Schismate Occidentis, ubi eam agnoverunt & venerati sunt omnes populi, non obstante Pontificum pluralitate; & quidem magis quàm hodie, dum unicus & solus est, cujus vita sanctitati characteris mirificè congruit. *Oportet Hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant. 1. Cor. 11. v. 19.* *S. August.*

Hæc & similia patebunt in Historia ista, quæ, jucundior, atque, ùt sperare licet, utilior erit, etiam ex eo, quòd pulcherrimam complectatur partem illorum Europæ populorum, qui diversas in partes hujus Controversiæ iverunt; cujus statum, in quo erat, hic exponendum esse non

non duximus, sed differimus, usque dum successivè in scænam præsentis Historiæ sponte sua prodeant.

Septuaginta ferme jam labebantur anni, quòd Pontifices Romanam Curiam habuerint Avenione, postquàm Clemens V. eò Sanctam sedem transtulisset; dum Gregorius XI. argumentis valde plausibilibus, & maximè urgentibus, ac perpetuis sollicitationibus Sanctæ Catharinæ Senensis persuasus, tandem ad Sedem suam Romam restituendam se resolvit, quod cum incredibili Romanorum gaudio fecit, qui eum tanquam Deum in terris exceperunt. Nihil magìs deplorandum ibi erat, quam status miserandus, in quo se se videbat illa Christianitatis Metropolis, tota ferme, ex tam longa Pontificum absentia, desolata, ac desormata; ditiones Ecclesiæ distractæ, quarum pars una rebellavit, alia verò à privatis Dominis occupabatur; & modicum illud residuum, bellô, quod Florentini contra Sanctam sedem gerebant, devastabatur. Gregorius, qui grandem possidebat animum cum magna Prudentia & generositate, tantis mederi cœpit malis, quæ cessatura illi persuadebantur cùm primùm Romam esset rediturus. Sed cùm spe sua delusum se videret, & mentem ad alia media pro tranquillitate Italiæ procuranda applicaret (quibus Bononiam reduxit) pacem denique cum Republica Florentina tractaret; mors, quæ illum ex hac vita anno sequenti sustulit, denuò Ecclesiam, in abyssum perturbationum & majorum calamitatum demersit.

Ep. 5. S. Cathar. Senen.

Annus 1377. Platin. Blondell. Corius. Sigon. Sabellic. Naucler. & alij.

Annus 1378.

Sanctus Pontifex è propinquo res Italiæ considerans, aliter illas quàm Avenione degens è longinquo, intuebatur; & cùm se in extremis constitutum vidisset, priusquàm avertere malum prævisum potuisset, horrendam deplorabat infelicitatem Ecclesiæ imminentem, post mortem suam infallibiliter secuturam. Probè videbat, quòd Romani, qui contra promissiones, quibus eum Romam invitabant, de plena sui submissione præstanda factas; authoritatem supremam, inani duntaxat umbra Pontifici relicta sibi arrogabant, dominaturi essent in Conclave Cardinalium, néque permissuri, Pontificem eligi ultramontanum, nè videlicet iterum Sanctam sedem Româ transferret aliò. Ex altera parte, credebat, Cardinales Gallos; qui duas partes Sacri Collegij conficiebant, & protestari deinde possent, cōtra violentiam, quæ illis irrogaretur in electione, in tali casu néque libera futura, néque Canonica. Consideratio ista cum exigua, quam in Italia habebat potentia, contra speciosa, quæ illi dabantur, ad Galliam deferendam verba, eum induxit, ut existimaverit, se haud opportunò tempore inde abivisse & Romam redivisse, atque priùs de hoc meliùs deliberandum fuisse, sui Prædecessoris exemplô Urbani V. qui cùm primùm Romam intrâsset, mox Avenionem fuerat reversus.

Annus 1378. Auct. Vit. Gregor. XI. Argent. l. 8.

Ep. Encycl. Bonif. XI. in Cod. M. S. Bibl. Victor.

Propterea vicinus morti, manibus tenens Sacrum Jesu-Christi Corpus paulò antequam exspirasset, obtestabatur sibi assistentes, ut certas caverent utriusque sexûs personas, quæ revelationes producerent, & secundùm eas procedi vellent; Cùm per tales personas inductus ipse, dimisso rationabili suorum consilio, se, & Ecclesiam in discrimen Schismatis imminentis traxerit, nisi misericors Deus ei provideret. Inter has autem erant Celebres duæ Sanctæ, Brigitta, & Catharina Senensis, & Petrus Infans Arragoniæ Sanctissimus Religiosus Divi Francisci, de quibus hic Pontifex multa virtutis consummatæ gesta audivit. Quod veritatem evincit utilissimam, ad præcavendam omnem illusionem; nimirum quòd revelationes privatæ, seu personis particularibus factæ tametsi veræ forent, à Deo non semper ordinentur, pro universali nostrarum actionum regula, & quòd securæ viæ, in rebus agendis semper tenendæ, sint Scripturæ Sacræ, Traditiones,

Gerson. de examin. Doctr. p. 2 Cons. 3. Wading. Ann. Min. c. 4.

Annus 1378.

nes, sensa sana, recta ratio, sapientum Consilia, & super omnia directio eorum, quibus obedire tenemur.

Verum est, quòd revelationes privatæ, non rarò eximijs sanctis à Deo factæ sint, in ordine ad particularem personæ cujuspiam directionem aut instructionem; nihilominus ejusmodi revelationes, quæ non pro tota Ecclesia proponuntur, eas duntaxat personas, quibus communicantur, obligant ad credundum, non verò totam Ecclesiam, tametsi revelationes tales ab Ecclesia quandoque approbentur. Hæ tamen ipsæ revelationes privatæ, præsertim ab Ecclesia approbatæ in magna semper habentur inter cæteros fideles veneratione; ità ut absque nota non levis temeritatis, aut etiam impietatis, argui non possint falsitatis aut mendacij. Unde non satis verosimile videtur, optimum Pontificem Gregorium, ideò indoluisse, quòd Sanctarum revelationibus fidem adhibuerit, & ab eis, ùt scriptor Gallicanus ait, deceptus fuerit; cùm ejusmodi arcana cælestia divinitùs manifestata, non ad deceptionem, sed ad saniora in rebus humanis gerendis consilia capienda plurimum conferant. Proinde Gregorius, meritò indoluisse credendus est, quòd Sanctis illis adhortationibus obtemperare, diu distulerit.

Ingens infelicitas, quam bonus iste Pontifex prævideerat, nec avertere poterat, illicò post mortem, super Ecclesiam, ùt prædicebat, devoluta est. Roma tempore illo specie quadam Aristocratiæ gubernabatur, composita è Supremo Magistratu Senatorum, Consiliarijs & duodecim Branderesijs seu Tribunis Regionum urbis, à diversis, quibus distinguebantur vexillis. Isti, semper metuentes, nè Sancta Sedes iterum in Galliam transportaretur, & videntes Gregorium in extremis, simul congregati deliberabant de medijs, quibus novus Pontifex Romæ semper mansurus esset. Ad Consilium hoc

Auct. Vit. Gregor. XI. Codex. Victor. Ciacon.

vocati sunt, complures Prælati Romani Itali; inter quos erat Bartholomæus Prignanus Archi-Episcopus Barij, Vir magnæ in Romana Curia authoritatis, ubi officiô fungebatur Cancellarij pro Cardinale Pampelonensi Avenione remanentis. Præter utilitatem communem, quæ ex mansione Pontificis in urbe Romana; etiam privatam suam omnes isti Prælati versabant in animo, quòd unusquisque illorum spem sibi faceret ad Pontificatum ascendendi, si ultramontani ab hac dignitate suprema excluderentur. Quapropter postquam sæpiùs ad deliberandum convenissent, præsertim post obitum Gregorij die vigesimô sextô Martij defuncti, sententiæ Magistratûs & primariorum Civium accesserunt, & omnes una voce concluserunt, unicum & efficax medium Pontifices Romæ deinceps retinendi superesse, ut novus Pontifex eligatur vel Romanus vel saltèm Italus. Desuper etiam statuerunt, ut ad hunc finem tantopere necessarium securè obtinendum, Magistratus vijs omnibus adhibitis, primò quidem suavitate, precibus & suasionibus uterentur, quæ si non sufficerent, dein etiam coactionem & vim apertam admoverent, ad procurandam hanc electionem, ab illis, quibus unicè jus eligendi Pontificem competebat: quæ electio diversis temporibus, etiam pluribus & valde differentibus modis fiebat, de quibus, notitiam haud ingratam Lectori fore putamus.

Annus 1378. Protest. Cardin.

Certum est, quòd JEsus-Christus primum Summum Pontificem in persona Sancti Petri creaverit, eique commiserit curam suarum Ovium, quæ per universam terram propagantur; & quòd hic Sanctus primum suum successorem declaraverit Linum; post hunc verò ab illis temporibus, alij omnes Pontifices post mortem suorum Prædecessorum eligebantur, sed modis valde diversis. Populus unitim cum Clero, & quandoque solus Clerus, de consensu tamen populi liberam instituebant ad

Annus plura suffragia electionem primis
1378. quinque sæculis usque ad obitum
483. simplicij Papæ, post quem Odoacer
Rex Herulorum & Italiæ, legem
condidit, vi cujus, prætextu occur-
rendi perturbationibus & incommo-
dis, quæ in electionibus Pontifi-
cum interdum eveniebant, pro-
hibuit, ullum deinceps eligi Pontifi-
cem, nisi prævie voluntas Principis
cognosceretur de Persona ad Ponti-
Concil. ficatum elevanda. Lex ista liberta-
Rom. 4. ti electionis tantopere adversa post
sub Sym. annos circiter viginti abolita fuit in
Pap t. 4. Concilio Romano quarto sub Papa
Concil. Edit. Pa- Symmacho, consentiente Rege
ris. Theodorico, tunc magna cum sa-
902. pientia & æquitate in Italia Regnan-
te. Sed hic Princeps Arrianus, fe-
rox & crudelis sub finem vitæ factus,
526. qui Sancto Joanni Papæ mortem æ-
rumnis in carcere oppresso intulit,
tyrannicè jus creandi Pontificem,
sibi soli usurpavit, & pro Pontifica-
tu Felicem IV. nominavit. Reges
Cassiod. l. 8. ep. 15. Gothi, qui ei successerunt, idem imi-
tati sunt exemplum, cum ea tamen
diversitate, quòd tandem satis ha-
buerint electum à Clero, confirma-
re, qui tamen possessionem Pontifi-
catûs capere, sinè approbatione Prin-
cipis non poterat. Justinianus Im-
Anastas. in Vigil. perator, qui Gothorum Imperium
Gregor. in Ps. 4. in Italia destruxit, & alij post ipsum
Pœnit. Ba- Imperatores, jus hoc usurpatum re-
ron. ad tinuerunt, & in tam probrosam ser-
ann. 555. vitutem reduxerunt Ecclesiam, ut
& 590. electum ad certam pecuniæ summam
persolvendam adegerint, pro con-
firmatione obtinenda, quam petere
debebat, & quâ non obtentâ, nulla
681. ei functio Pontificalis permittebatur.
Anast. in Constantinus Pagonates ab hac infa-
Agath. mi servitute Ecclesiam liberavit, hanc
Anast. in indignam exactionem abolendo: In-
Leon. 4. tereà tamen Imperatores aliquam
semper authoritatem retinebant, in
electione Pontificum, qui absque
consensu & approbatione Impera-
toris non consecrabantur; usque dum
824. Imperatores Latini, Caroli Magni
Anast. in Successores, Ludovicus Pius, Lotha-
Eugen. 2. Sig. de Reg. rius I. & Ludovicus II. Ecclesiam
Romanam suis liberassent Constitu- Annus
tionibus Imperialibus, & declaras- 1378.
sent, atque statuissent, Electionem Ital. Gret-
Pontificum deinceps liberè atque ca- ser. Apol.
nonicè secundùm antiquas consuetu- Bellar. &
dines esse instituendam. l. 2. Repl. contr. Gol-

Durantibus illis horrendis sæculi dast. c. 9.
decimi conturbationibus, & statu de- Decr. Dist.
plorando Sanctæ Sedis in extremam 93. c. 31.
desolationem conjectæ, tyrannide
Marchionum Hetruriæ & Comitum
Tuscanellæ; hi Tyranni & Magnates 900.
Romani, denuo libertatem Ecclesiæ
opprimebant, creando & deponen-
do, pro suo arbitrio & placito Pon-
tifices, prout nimirùm, suis passioni-
bus & commodis prodesse vel obesse
videbant. Otho Magnus, ejus Fili- 963.
us, & posteà Nepos illius Imperato- Luitpr. l. 6
ris, postquàm evertissent tyrannidem Cranz.
eorum, qui tam indignè tractabant Metr.
Ecclesiam, adhuc etiam ipsi eam in Saxo. l. 4.
specie quadam servitutis tenebant,
suæ authoritati subjicientes Pontifi-
cum electionem, quæ ab illis depen-
debat. Sanctus Henricus Bavariæ Baron. ad
Dux & Imperator, successor Otho- ann. 1002.
num illam plenæ libertati restituit,
permittendo hanc electionem Cle-
ro populóque Romano, ad exem-
plum primorum Imperatorum, 1014.
quos supra memoravimus, eorúm- Vid. Ba-
que amplissimas donationes Ecclesiæ ron. ad
factas, confirmavit, dum Romæ co- hunc ann.
ronam assumeret Imperialem. Con- Gretser.
radus Salicus nihil hac in re mutavit; Apol. Ba-
sed Henricus III. filius ejus, & Hen- ron. c. 12.
ricus IV. ejusdem Nepos, consenti- & l. 2.
entibus Romanis & Nicolao II. in contr.
Concilijs Sutrinensi & Romano, pos- Repl. Gol-
sessionem resumpserunt juris & po- dast. c. 17.
testatis, usurpatæ quâ ipsi Pontifices 1046.
eligerent, vel quem vellent, eligi cu-
rarent: quod posteà, per varios ab- 1059.
usus, qui se immiscebant, horribiles
in Ecclesia perturbationes, & Schis-
mata peperit, & consequenter bel-
lum de Investituris inter Pontifices &
Imperatores excitavit.

Tandem, durantibus adhuc unô
ferme sæculô perturbationibus &
Antipapis, quos Imperatores Schis-
matici ex una parte, ex altera verò
factio-

Annus 1378.

factiosi in populo & Clero Romano, legitime electis opponebant Pontificibus; Ecclesiæ pax & libertas sub Innocentio II. stabilita fuit. Postquàm enim famosum Schisma Petri de Leone, qui Anacletus dicebatur, & Victoris IV. penitùs exstinctum fuit, operâ potissimùm Sancti Bernardi; Cardinales omnes sub obedientia Innocentij reuniti, & à præcipuis Romani Cleri membris roborati, magnâ industriâ hujus Pontificis, omnibus conciliatis, & Sacro Collegio adscriptis, tantam sibi comparârunt authoritatem, ut post mortem Innocentij, ipsi soli Pontificem elegerint Cœlestinum II. & ab illo tempore in possessione tam pulchri Juris se conservârunt, ità ut deinceps neque Senatus, néque Populus, aut residuus Clerus partem aliquam in hujusmodi electionibus habuerit. Erant igitur usque ad obitum Gregorij XI. anni ducenti triginta quinque, quibus Cardinales Soli possessionem tenebant juris ad electionem Pontificum, quam in Conclavi instituebant inclusi, ab Honorio III. vel secundùm opinionem quorundam Authorum, à Gregorio X. & ut legitima & Canonica esset electio, eam liberam, cum duabus partibus suffragiorum esse oportebat. Nihilominus Gregorius XI. superventuras prævidens conturbationes, nisi quantocyùs liberè eligeretur successor, tribus ante mortem diebus, Bullam edidit, quâ Cardinalibus pro hac sola vice permittebat, electionem Pontificis cum sola suffragiorum pluralitate fieri, si ità expedire judicaverint.

1138.

Panvin. ad Plat. post Innoc. 2. Ciacon. in Cœlest. 2. 1143.

Ciacon. in Honor. 3. Panvin. ad Vit. Greg. X. 1374.

M. S. Process. ap Methym. Camp. f. 35. ex Bibliothec. Harlad.

Illo ergo tempore nonnisi viginti tres erant in Sacro Collegio Cardinales; octodecim Galli, quatuor Itali & unus Hispanus. Ex his septem Galli aderant, sex quos Gregorius Avenione Romam abiens reliquerat, & unus in Hetruriam missus fuerat: ità ut nonnisi sedecim Romæ pro electione Pontificis fuerint, quatuor Itali, videlicet Petrus Corsinus, Cardinalis Florentinus, Franciscus Theobaldeschus Romanus, Cardinalis Archi-Presbyter Ecclesiæ Sancti Petri, Simon de Borsano, Cardinalis Mediolanensis, & Jacobus Cardinalis de Ursinis Romanus; Hispanus Petrus de Luna Arragonius, & undecim Galli, è quibus septem erant Lemovicenses, nempe Joannes de Gros Cardinalis Lemovicensis & Magnus Pœnitentiarius, Guilielmus de Aigrefeullie seu de Agrifolio Cardinalis tituli Sancti Stephani in Monte Cœlio, Bertrandas Lagier Cardinalis de Claudeva, Petrus de Sortenac seu de Bernia, Cardinalis de Vivieris, Guilielmus de Noëlle Cardinalis Sancti Angeli, Petrus de Verucho Cardinalis Sanctæ Mariæ in via Lata, & Guilielmus de Maillesec Episcopus & Cardinalis Geleñensis, Hugo de Mont-Relaix Episcopus Briecensis Cardinalis Britanniæ, Gerardus de Puy Abbas & Cardinalis de Monmosti, & Petrus Flandrinus Cardinalis Sancti Eustachij.

Ciacon. Auth. Vit. Gregor. Ep. Card. ad Avenion. apud Rayn. n. 19.

Hi sedecim Cardinales, ante Conclave magnopere dissentiebant de eligendo Pontifice. Duodecim ultramontani consentiebant ad excludendum Italum, & eligendum è suo corpore Pontificem: sed undecim Galli, septem Lemovicenses, qui de sua natione intrâ viginti novem annos, quatuor consequenter habuêre Pontifices, quintum habere volebant; quatuor alij, pertæsi horum dominationis, unum è suo gremio creare cupiebant, nè videlicet penes unam solam Pontificatus maneret Provinciam. Quatuor Itali è contrario, qui uti Romani, metuebant, nè Sancta Sedes iterum in Galliam transportaretur, unum è suo numero eligi magnopere satagebant: & super omnia Cardinalis Ursinus, Romæ potentissimus, totô animô ad Pontificatum aspirabat, & ad eum obtinendum omnes adhibebat conatus.

Ciacon.

In hac dispositione animorum constitutis Cardinalibus, Itali & quatuor Galli Lemovicensibus contrarij, ad hos excludendos convenerant,

Annus 1378. rant, & utrique sperabant, quòd sibi reciprocè assistentes, Pontificem de sua creare possent Natione, in casu, quô Lemovicenses tandem se resolverent ad excludendum unam solam partium ipsis adversarum. Sed quia semper obfirmati apparebant, ad excludendam utramque partem contrariam, timendum videbatur, ut longissimè electio Novi Pontificis, in tanta protraheretur divisione; quæ subitò desijt, furioso impetu Romanorum, qui prima & præcipua erat novæ, majorisque causa divisionis, ex qua funestum exortum est Schisma. Dum partes duæ bellô se impetunt, si tertia utramque impetat, plerumque suam suspendunt querelam, & ambæ unitis viribus contra tertiam tanquam contra hostem suum communem arma convertunt, quod in præsenti apparuit occasione. Dum enim hi & illi Cardinales inter se dissidentes contra se invicem jungerentur, Banderesij secundùm resolutionem in suo conclusam consilio, videntes nullam se adhuc assecutos de proposito concepto securitatem, postquàm cum singulis seorsim egissent Cardinalibus, rogabant, ut simul omnes congregarentur; ubi unus cæterorum nomine dicebat: *se cum suis Collegis venire missos à Senatu Populóque Romano, ad demonstrandum, quòd Ecclesia Romana, translatione in Galliam Sanctæ Sedis, in lamentabili manserit septuaginta annis captivitate, sicut Israëlita in Babylonica; quòd ea durante, Roma Orbis Christiani Metropolis longè plura perpessa fuerit mala in Spiritualibus æquè ac temporalibus ex absentia Summorum Pontificum, quàm tempore Barbarorum, qui eam crudeli sua dominationi subjectam tenuerunt: quòd à Pontificibus deserta Sancti Petri Sede, aliud videre non fuerit, quàm rebelliones, & cruenta bella, quæ ditiones Ecclesiasticas desolabant. Quòd Provinciæ, atque Civitates majori ex parte usurpatæ fuerint à Tyrannis, qui eas occupabant. Quòd Respublicæ vicinæ ac Principes Lombardiæ, etiamnum partem earum retinerent; residuum verò*

Auth. Vit. Gregor. Chron. Victor. Histor. Cardin. Ciacon. Spondan.

Annus 1378. *perpetuò devastaretur hostium incursionibus, qui ferrum & flammam usque ad portas deferrent urbis Romanæ, quæ authoritate & viribus destituta cursum vel potiùs inundationem sistere non posset tanti furoris. Sed super omnia quòd facies tantæ urbis, quæ aliàs in summa erat orbi universo veneratione, adeò deformatam se videat, ut pro Civitate Sancta & Capite Religionis dignosci non possit. Quòd Templa celeberrima & Sanctissima in Christianitate, augusta illa monumenta pietatis Constantini Magni, ubi Summi Pontifices, cum insignibus Supremæ suæ dignitatis capiunt possessionem Sedis Apostolicæ, penitus neglecta maneant, sine honore, sine ornamentis, sine instauratione, & omni ex parte ruinas minentur. Quòd tituli Cardinalium, illa Sacra Loca, quæ sacrarum reconditoria sunt Reliquiarum, tot Martyrum, derelicta maneant ab illis, qui ab eorum titulis & nominibus recipiunt honorem, & eorum curam habere tenentur, tectis, portis & muris destituantur, pecoribus exposita, herbas ad ipsa usque Altaria depascentibus. Quòd idcircò fideles Romam ampliùs nec devotione, cui vacare non possunt in Ecclesijs profanatis, néque utilitate ad negotia tractanda pro impetrandis à Pontifice gratijs, alliciantur, qui cũ scandalo suam deserunt Ecclesiam. Quòd hæc infausta Civitas in grandem & horribilem vergat solitudinem, & mundi peripsema fiat, cùm tamen adhuc sit Caput Orbis in Spiritualibus, prout olim erat etiam in temporalibus.* Addebat: *Quòd omninò persuasum habeatur fore, ut ad tam grande malum impediendum, nè in illud Roma rursus incidat, summâ & absolutâ necessitate exigente, ultramontani à Pontificatu excludantur, qui tanto tempore Sanctam Sedem extra Romam detinuerunt, & Pontifex Romanus vel saltèm Italus eligatur. Proinde quòd humillimè supplicent Sacro Collegio, ad deferendum tam justo Populi Romani petito, qui adeò firmiter est resolutus ad obtinendum, quod tanto jure postulat, ut alioquì secundùm omnem apparentiam ipse sibi justitiam procurare velit, néque impe-*

Annus 1378.

impediri poterit, quin Cardinales invadat. Denique deſiderari, ut priuſquàm Conclave ingrediantur, mentem ſuam clarè aperiant.

Quamvis adeò inſolita propoſitio demulcere aliquatenus potuerit ſpem Cardinalium Italorum, qui ad Pontificatum aſpirabant, honor tamen & conſcientia, atque etiam utilitas, nè viâ tam violentâ eligerentur, omnes illos cum ultra montanis in eamdem univit ſententiam, quæ magna cum conſtantia, pro reſponſo expreſſa fuit Brandereſijs, quibus nomine Sacri Collegij dicebatur. *Quòd de hoc magno negotio, tractari nullatenus poſſit extra Conclave: ibi deinde Cardinales poſt maturam deliberationem, eligent cum divina gratia, ſinè acceptatione perſonarum vel nationum, quem in conſcientia magis idoneum, ad gubernandam Eccleſiam Dei judicabunt. Cæterùm caverent Brandereſij, nè hac de re porrò loquantur, prout jam locuti ſunt; neque minas intentent, quæ locum præbent, credendi, quòd violentiâ uti vellent. Quòd idcircò Sacrum Collegium, in anteceſſum proteſtetur, ſi violentia & coactio aliqua intervenerit, electio futura ſit nulla & irrita; ille verò, qui hac ratione Pontifex eligeretur, non niſi intruſus foret.* Sed homines illi, volentes abſolutè Pontificem vel Romanum vel Italum, non ceſſabant eadem quotidie dicere atque repetere, cum augmento minarum à Populo, cujus furori reſiſti non poſſet.

Auct. Vit. Gregor.

Chron. Victor. Ciacon.

Ampliùs fecerunt. Metuentes enim nè Cardinales Româ elaberentur, & in alium locum ſecederent, ad eligendum liberè quem vellent Pontificem, Vigilias ad portas urbis conſtituerunt, & pontes, tranſitus, atque ædes omnes per terram & aquam occupârunt: ità ut, nemo vel Romam intrare, aut inde migrare, ſinè illorum permiſſione valuerit. Imò ex urbe omnes illos ejecerunt, qui Cardinales defendere potuerunt, & violentiam illis inferendam avertere: ſed locò illorum, omnem fæcem hominum, quos in agris colligere poterant, maximè autem Montanos, feroces & ſemibarbaros homines, advocârunt, qui armis inſtructi plateas omnes indeſinenter percurrebant, ad incutiendum Cardinalibus majorem terrorem, & innumeris inſultationibus domeſticos illorum invadebant, mortem minantes, niſi quantocyùs Populo Romano ſatisfiat. His eiſdem hominibus Magiſtratus, qui eis abſolutè dominabatur, cuſtodiam Conclavis commiſit, neque admiſit, ut Cardinales more conſueto, ſibi cuſtodias conſtituerent, ad ſecuritatem non ſolùm Conclavis, verùm etiam ſuarum perſonarum, quòd haud æquum cenſeretur, arbitrio hominum ignotorum ſe concredere, quorum incerta erat fidelitas.

Auct. Anonym. Vit. Greg. Cod. Vict. ap. Spond.

Sic nimirùm omnia in continua perturbatione atque tumultu gerebantur, uſque ad diem ſeptimum Aprilis, & violentia cum furore ampliùs invaleſcebat, quando Cardinales tandem Conclave intrare debebant. Tum enim omnis Populus, & Montani cum armis accurrentes, ad magnum Sancti Petri atrium, & maximè ad ingreſſum Palatij, ubi præparatum erat Conclave, Cardinales circumdederunt, & horrendum in modum clamârunt. *Papam volumus Romanum vel Italum. Talem habebimus: alioquì ſciemus nobis procurare juſtitiam.* Et id ipſum ſinè intermiſſione cum formidabilibus minis repetentes, in ipſum Conclave ſe conjecerunt cum Cardinalibus, qui ægrè per confertiſſimum & denſiſſimum populum penetrare, & ad Conclave pervenire poterant. Cúmque tandem, nocte ingruente, claudendum erat Conclave, & contumaces illi recedere debebant; omnem illam Palatij regionem involârunt, quæ ſpatium illud circumdabat, & cubicella Cardinalium occupârunt; alij verò Palatium deforis, nè ullus inde egredi poſſet, cingebant: poſtmodum ad Conclave converſi, omnibus viribus, minas repetendo Cardinalibus, vociferabantur, & cum extre-

Auth. Vit. Greg apud. Boſq.

Annus 1378.

trema insolentia dicebant, quòd nisi postulatis annuant, se facturos Cardinalibus capita magis rubentia, quàm sint ipsorum Galeri: quod illos vehementer conterruit, qui nimirùm, prout amœnè quidam illius temporis observat scriptor, occasione illa malebant Confessores esse, quàm Martyres.

Froissar. vol. 2. c. 12.

Dicitur etiam, quòd durante illo tumultu, terribiliter eruperint coruscationes fulminis, quod super duas in Conclavi Cellulas decidit Cardinalium Gebennensis & Arragoniæ, qui posteà in hoc Schismate Pontifices fuerunt electi; & insignia defuncti Pontificis Gregorij XI. combusserit. Sed de hac circumstantia (utì etiam de alijs quibusdam) dubitare licet, quæ non satìs authentica reperitur, & similis esse videtur illis prodigijs, qualia ex incerta fama nascuntur, & in nimia credulitate tanquam præsagia futurorum facilè recipiuntur. Quidquid de hoc sit, certum dicitur illud, quòd indies tumultus creverit. Nam Brandereſij cum ingenti factiosorum numero, scientes, quòd Cardinales eo tempore in suis degerent Cellulis, portam Conclavis aperiri curârunt, & contra consuetudinem & legem intrârunt, quæ neminem ingredi permittit, priusquàm electio Pontificis publicetur; & mira cum audacia illis imperiosè dici curant, ut sinè mora, eo ipso tempore convenirent, audituri, quæ Populus Romanus illis significari mandat.

Ex Codic. Eccles. Durd. apud Spond.

Quamvìs nihil magis insolitum & insolens hac ratione agendi fuerit, oportebat nihilominus Cardinales audaciâ istâ perterritos, ex qua funestissimum quidpiam ominabantur, mox in Capella, electioni destinata congregari; ubi ductor furiosæ turbæ ferociter Cardinales allocutus dicebat: *quòd postquàm semper hactenus, responsum clarum negaverint ad postulata Populi, de non eligendo Pontifice, nisì Romano vel saltèm Italo; dennò illis eadem proponantur postulata, ad qua illis hoc ipso momento, clarè ac disertè sit respondendum, ut Populo Romano, qui responsum expectat, referatur.* Cùm ad hæc omnes Cardinales, utì anteà respondissent, se facturos, quæ Spiritus Sanctus inspirabit, daturosque cum divina gratia Ecclesiæ caput, cum quo universus Orbis Christianus, poterit esse contentus; *Nos autem*, replicabant insolentissimè Brandereſij, *Vobis declaramus, quòd, nisi postulata perficiatis, populus in Vos insurrecturus sit, ità ut ab ejus furore, vos defendere f.rtè non valebimus. Et cùm Vos hac ratione nobis loquamini,* omnes una voce reponebant Cardinales, *& nobis declaretis, vim nobis inferendam esse; nos quoque protestamur, quòd in hoc violentia casu, à nobis electus, quem Vos verum Papam credere voletis, talis nullatenus sit futurus.* Desuper Brandereſij recesserunt, & clauso iterum Conclavi, Cardinales ad suas Cellulas se ad somnum capiendum receperunt. Sed horrendus Populi impetus quietem non concessit.

Annus 1378.

Nam furiosi homines, Palatium obsidentes, & alij, omnia intrà illud occupantes, formidabiliter tota nocte clamabant, se Papam velle Romanum aut Italum, minásque horrendas jactabant, omnes trucidandi Cardinales, nisi talem habeant Pontificem. Illi etiam, qui Conclave infestabant, hastis & securibus aditus ad terrendos Cardinales concutiebant, fasces lignorum, siccarum arundinum & palearum congregabant, minitantes immisso igne flammis omnes in Conclavi cremandos, nisi quantocyùs satisfaciant postulatis. Quapropter summo manè Cardinales, quibus pavor incussus, & ingens tumultus, nè momentò quietem concesserat, in Capella convenerunt, ubi dum Missa electioni præmittenda celebraretur, in majori quàm antehac periculo se constitutos viderunt: Illi enim effrænes circa ipsam Capellam, concurrentes contra Conclave, sinè omni respectu Loci Sacri, aut Mysteriorum Divinorum, quæ celebrabantur, fu-

as

Annus 1378.

as multiplicabant vociferationes & minas cum horrendis ululatibus, ità ut Sacerdos apud Altare nequiverit audiri: eodémque tempore, signô Campanæ Sancti Petri, & Capitolij auditô, omnes qui adhuc ex populo in ædibus remanserant, velut insanientes ad Sanctum Petrum armati, sicut in aperto bello advolârunt: & alij turmatim in Palatium currebant, alij totum forum exterius implebant, & insanis clamoribus, & in portam Conclavis irruptionibus, effecerunt, ut tres Cardinales Capita Ordinum, ad fenestras atrium versùs, exhibere se debuerint populo, ut, quid vellet, audirent. Tum derepentè omni, ad eorum præsentiam tumultu, sedato, Cardinalibus alta & clara voce dicebatur, quòd nisi statim & absque omni mora interposita Pontificem faciant Romanum vel Italum, omnes in frusta sint dilaniandi. Id ipsum eis nonnulli ultramontani confirmabant, populo immixti, suadebántque nè diutiùs, populo satisfacere, atque ità saluti suæ consulere differrent.

Frustrà quærebatur modus sedandi furorem populi. Dum clamores & impetus contumaciam majore cum furia resumerentur, necesse judiciô cæterorum omnium censebatur, ut Cardinales promitterêt Populo, die sequenti ante horam nonam futurum esse, quod postulabatur; & sperabatur, quòd hôc brevi intervallô furor aliquatenus mitigari posset. Sed vana spes erat. Bona illa verba, instar modicæ aquæ in magnum rogum injectæ, iracundiam, vel potiùs rabiem furentium inflammârunt magis, qui denuò clamabant, illicò & sinè mora satisfaciendum esse postulatis, & rursùs Portam Conclavis adeò impetebant, ut Cardinales, videntes illam esse perfringendam, & metuentes, nè invasi omnes trucidarentur, dici illis curare debuerint, se jam jam desiderata facturos. Priùs tamen cautelas necessarias in tanti momenti negotio capiendas esse censebant, ad evitandas funestas querelas. Proinde omnes fermè Cardinales, & maximè ultramontani protestabantur, quòd electionem Pontificis Itali, nonnisi coacti & metu mortis intentatæ sint facturi, quam in libertate atque securitate nullatenus facerent. Nonnulli etiam, antecedenter jam & privatim coram Notario publico idem fecerunt. Alij etiam Itali addebant, quòd, si hac ratione eligerentur, nunquam sint electionem hujusmodi acceptaturi, de cujus nullitate nullum esset dubium. Nonnulli denique dicebant, se non daturos suffragia nisi cum conditione, ut in libertate constituti ad novam procedant electionem.

Annus 1378.

Attest. Card. Auth. Vit. Gregor. Antonin ctit. 22. c. 2. Bon in seq. lib. 4. Auth. Vit. Gregor. M. S. Proces Meth. ex Bibl. Harl. Attest. Card.

Posteà, cùm ultramontani nullum vellent è quatuor Italis præsentibus, alij verò Avenione manentes, Galli essent, omnes extra Sacrum Collegium oculos in Bartholomæum Prignanum Neapolitanum, Archi-Episcopum Barij conjecerunt; eúmque inter omnes alios Prælatos propteres elegerunt, quòd, prout in actuali declarârunt electione, cùm testis esset violentiæ factæ, ipse tanquam Doctor in Sacris Canonibus, probè sciret talem electionem nullatenus posse subsistere, & aliunde esset in existimatione Viri probi & conscientiæ bonæ; atque ità credebant, quòd si hanc dignitatem acceptaret, ad ipsos ex periculo extremo mortis imminentis eripiendos, ei posteà renuntiaturus esset, cùm primùm in loco securo libera posset institui electio.

Auth. Vit.

Et profectò Simon Cramoldus Patriarcha Alexandrinus, qui eo tempore vivebat, in parvo Tractatu de hac electione in lucem dato, asserit, Pontium Veraldum cum juramento sibi protestatum fuisse, quòd dum in Ecclesia Sancti Petri esset cum Archi-Episcopo Barij intrantibus in Conclave Cardinalibus, Prælatus iste, magnus ejus amicus, visô populi horribili impetu, & violentia Cardinalibus illata, dixerit, quòd electus in tali tumultu, nullatenus

In Cod. M S. Bibl. Victor. apud Spondâ.

Annus 1378. tentus foret Verus Papa, nec illum pro tali unquã agnosceret. Quidquid de hoc sit; cùm Archi-Episcopus electus in Conclavi non adfuerit, priusquàm ejus electio promulgaretur, oportebat ejus explorare consensum; proinde cum sex alijs Prælatis Italis advocatus est; ex quo, colligebant omnes, unum ex illis eligendum esse.

Theodor. Niem. l. 1. c. 2. Sed dum Cardinales tractarent cum Bartholomæo, qui absque magna difficultate in suam consensit electionem, quam, licèt non ignarus omnium quæ gesta sunt, semper optimam & omninò legitimam censebat; & nihilominus majori ex parte Cardinales, durante hoc intervallo satis pacato, & tumultu aliquantùm subsidente, de illa rectificanda satagerent, atque ad nova suffragia procederent rursus non prævisus evêtus repentina commotio & violentia populi, majori cum furia quàm antehac erupit: dum enim populus totum Sancti Petri atrium impleret, promulgationem electionis expectans, homo quidam à Cardinali Ursino, qui Pontificatum extremè concupiebat, subornatus, totis viribus clamare cœpit, Bariensem electum

Niem. c. 2. Tract. D. de Puy. & ultramontanum esse. Habuit autem defunctus Pontifex in suis servitijs, quemdam Joannem de Bar Lemovicensem, qui secretus erat Cubicularius, homo Romanis, propter suam arrogantiam & dissolutiones magnopere exosus. Tum Populus, credens hunc ipsum Joannem de Bar, electum esse; in toto illo atrio, terrificum rumorem & conturbationem excitavit: illi verò qui partibus adhærebant Cardinalis Ursini, eräntque numerò permulti, volentes ex hac favente occasione ad suos fines proficere, clamabant; quòd postquàm decepti essent, Pontificis Galli creatione contra fidem datam,

Attest. Cardin. Antonin. Boninsegn. Ciacon. Cardinales cogendos esse, ad eligendum alium, qui sit Romanus: desuper in palatium, cum Populo & Magistratibus irruentes, cum horrendis ululatibus repetendo, *Papam Romanum volumus*; portam Conclavis perfregerunt, Capellam intrârunt, portam Sacristiæ, in qua se Cardinales salvârunt, securibus everterunt, eósque evaginatis gladijs armati circumdederunt, semper horrendis clamoribus, Papam Romanum postulantes; donec tandem quidam Cardinalis, ut mortem vitaret, dixisset, eos deceptos esse, & quòd Cardinalis Sancti Petri fuerit electus: sed quia electioni consentire nollet, ad ipsos pertinere, ut eum ad consensum inducant, ab ipso Sacro Collegio rogati. Annus 1738.

Nec pluribus erat opus ad sistendum Populi tumultum. Nam sinè mora, in tanto impetu, non examinata rei veritate credebat Populus se votis potitum, & Cardinalem Sancti Petri, Theobaldescum Romanum, esse Pontificem. Mox idem rumor in toto Palatio increbuit, & ex Palatio in urbem se effudit; multitudo hominum in Conclave concurrit, ad exhibendam novo existimato Pontifici venerationem, qui erat bonus Senecio octogenariô major, adeò arttithide gravatus, ut ambulare nequiverit, eum tamen violentè àt ùt renitentem, in Ecclesiam Sancti Petri asportârunt, ubi multitudine populi opprimendus videbatur; super Altare Sancti Petri more solito collocârunt, clamantem quantum poterat, se papam non esse, sed Archi-Episcopum Bariensem electum fuisse. Sed frustranea erant omnia, quæ dicebat; reportatus est in Palatium Pontificium, ubi, quid quid ad elidendum errorem dixisset, tanquam Pontifex usque in diem sequentem tractatus est; ubi tandem rei veritas innotuit, quòd nimirum, Bartholomæus de Prignano Archi-Episcopus Barij, omnium Cardinalium suffragijs electus fuerit. Tum primò Populus videns Pontificem saltèm Italum electum esse, votis suis satis factum esse testatus est, illúmque pro vero Pontifice agnovit. Attest. Card. Niem. Anton. Boninsegn.

Intereà Cardinales suaviter è Palatio evadebant, dum Cardinalis San- Attest. Card. Ciacon.

Annus 1378.

Sancti Petri in Ecclesiam, à credentibus illum esse Pontificem, deportaretur, & alij se in sua recipiebant Palatia, quæ sepimentis muniebant, alij Castrum Sancti Angeli petebant, alij etiam transvestiti ex urbe discedebant. Sed Electus, qui ab omnibus ritu solemni, & cum cæremonijs usitatis agnosci volebat, omnes revocari curavit: & non tantùm ex urbe, uti rogabant, ad ratificandam in loco securo & libero ejus electionem migrare non permisit, verùm etiam adhibita Magistratuum & Branderesiorum authoritate, ad comparendum, qui Romæ aderant in Palatio, coëgit. Et quantumvis illi, qui se in Castrum Sancti Angeli receperant, procurationem in scriptis miserint, ut eorum nomine in Throno collocaretur, jubebat nihilominùs eos in persona comparere, sicut etiam alios extra Romam degentes, ut ità ab omnibus Cardinalibus congregatis solemni ritu ad Thronum Sancti Petri elevaretur; qua elevatione peracta, altum conscendit Propylæum, & Benedictionem Papalem Populo impertivit. Denique, tota Nobilitate Romam reversa, solemniter coronatus est, die Paschatis, decimo octavo Aprilis: deinde cùm pompa magnificentissima ad Sanctum Joannem in Laterano, pro capienda consueto more illius Ecclesiæ possessione deductus; rursus pro Vero Pontifice ab omnibus agnitus fuit, quin ullus minimam violentiæ mentionem fecisset, dum nemo volebat, in quæstionem vocare illius electionem; quam ipsô factô rursus omnes approbaverunt. *Niem. c. 2.*

Hæc sunt, quæ propiùs ad veritatem accedere, asserit Author Gallicanus; circa hanc electionem Archi-Episcopi Barij, qui nomen Urbani VI. assumpsit. Et quamvis non desint, qui de hac electione aliter scribant; illis tamen deferendum esse putat, qui ferme omnes eo tempore, vel paulò post scripserunt, & Romæ præsentes erant, ac gesta illa spectabant: quæ consonant cum ijs, quæ Celeber Juris Consultus Baldus, qui sub Pontificatu Urbani VI. floruit, facta esse ingenuè fatetur, tametsi causam hujus Pontificis defendendo æquissimo jure dicat, quòd violentia illa & metus ex illa ortus, non impediverit electionem fuisse Canonicam, eámque à Cardinalibus illum ad Thronum elevantibus & coronantibus fuisse ratificatam, accedente trium ferè mensium spatio, quô cum illo tanquam cum Vero Pontifice agebant. Etiam Alphonsus Ciaconius, qui cum laude Vitas Pontificum scripsit, pari ferè modo refert, prout videri potest in suo Libro Romæ in Vaticana Typographia impresso, cum additionibus doctissimorum Virorum, quæ opus ejus magnopere auxerunt. Illud autem majoris considerationis, & ponderis, Gallicani scriptores putant, quòd duodecim Cardinales ultramontani, extra Romam, & in plena existentes libertate, legaliter, cum juramento & instrumento authentico; die secundo Augusti ejusdem anni protestati fuerint, quòd omnia in Conclavi, prout retulimus, facta sint; nisi planè constaret, eos ab Urbano asperô agendi modô, graviter offensos fuisse atque hanc ob causam ab eo secessisse. Neque obstat, inter hos Cardinales, fuisse sapientes & probos atque insignis virtutis Viros, quales inter alios erant Cardinalis de Agrofolio, Pictaviensis, Limovicensis, & Glandevensis, qui perjurij arguerentur, & quòd in eo usque ad mortem perseveraverint, dum constanter eadem asseverabant. Similem protestationem in suo testamento Cardinalis Mediolanensis Simon de Bressano fecisse dicitur, quod post triennium Nicææ in Provincia paulò ante mortem condidit. His probationibus nititur author Gallicanus; quarum tamen pondus elidi videtur, aliorum Authorum fide dignis relationibus, quæ disertè asserunt, à populo nullam violentiam Cardinalibus in Conclavi congregatis illatam fuisse.

Annus 1378.

Amb. Chron. M.S. Bibl. Victor. Auth. Vit. Greg. Baldus. Freisard. Antonin. Boninsegn.

Attest. Card. in Cod. Victor.

Thesaur. de Chartres. V. D. de Puy. de Schismat. pag. 249.

Annus 1378.

Papebr. Propyl. p. 2. pag. 85. n. 3.

Nec omninò prætereunda videtur animadversio, apud Papebrochium; quòd, qui Gregorij Papæ XI. vitam apud Bosquetum descripsit auctor Gallicus, de electione subsecuta conscripserit, qualia potuit, Clementino Schismati adhærens, ex suæ factionis sensu: contra quæ aliáque, à Gallis adversus Urbani electionem proferri solita, multa in ejus favorem monumenta documentáque producunt Annalium Ecclesiasticorum Continuatores Abrahamus Bzovius & Odoricus Raynaldus. Magni certè momenti est, quòd Comes Flandriæ Ludovicus, Francorum partibus tam constanter aliàs inhærens, ut omnes fortunas, ditiones, & vitam ipsam eisdem consecraverit, nullis suorum sæpius ea de causa rebellantium conatibus à fœdere Gallicano revocabilis; nunquam tamen induci potuerit quantiscunque confœderatorum Gallorum solicitationibus, ut Clementem pro Vero agnosceret Papa; à cujus ipsiusmet manu dicebat se habere literas de legitima electione Urbani: quas intercidisse dolendum esset magis, nisi multæ extarent aliæ ejusdem de eadem re, & forsan eodem tenore, ad Imperatorem, aliæ item aliorum, nec non Cardinalium Romæ præsentium, ad absentes Avenione: has autem omnes, meras simulationes, metúque extortas fuisse, credat qui potest.

Illud prætereà notandum venit, ad sinceritatem pertinens Historici, qui animô non præoccupatô scribit; discernendum esse, inter Authores, qui pro una vel altera litigantium parte scripsêre. Thesaurus de Chartres, de Puy, Galli sunt; author vitæ Gregorij Gallus est. Theodorus Nyemus de Nyem, cujuscunque Nationis, author est suspectus, de quo hìc loquitur Brietius; quòd cùm de gestis Urbani Pontificis duo scripserint, Theodorus Nyemus de Nyem inimicus, & Gobellinus amicus, neutri satis adhibenda sit fides de hoc Schismate, ejúsque fautoribus,

Briet. in Chron. pag. 725.

sæpè potiùs ex affectu quàm æquitate judicanti. Attestatio Cardinalium ex Codice Victoriano pariter suspecta est, uti ex Manuscripto apud Papebrochium, ex actis electionis patet; ubi refertur & concluditur, quòd longa verborum serie Pontificis Urbani narrata sit assumptio pro eo, quòd Schisma subsecutum longioris temporis fuerit, & multorum malorum, causa, & ut ex gestis in electione intelligi posset justitia tituli ejus Papalis: quamvìs longè aliter à Cardinalibus, qui recesserunt ab eo, posteà fuerit assertum; qui metum prætexebant in constantes viros cadentem, in actu electionis intervenisse, quem trium mensium spatiô, quô continuè cum Papa Urbano fuerunt, nunquam allegârunt, sicut reverà allegare non poterant; & sinè dubio quærere debebant aliquem ad secessionem suam colorandam titulum; ut proinde attestatio eorum esse possit meritò suspecta. Hæc ad exponendam hac in parte Historiam, quam de electione Urbani VI. nihil penitus in re tam incerta decidendo referenda esse duximus, prudenti Lectoris judicio cuncta relinquendo.

Annus 1378.

Papebroch. cit. pag. 101. n. 30.

Barholomæus Prignanus erat Neapolitanus, ex illa Urbis Neapolitanæ regione, quæ Infernus appellatur, natus ex Patre Pisano & Matre Neapolitana, utroque nobilis familiæ, annorum circiter sexaginta, staturæ paulò supra mediocrem, obesus & repletus, complexionis fortis & robustæ, coloris profundè fusci, oculis igne plenis; naturæ fervidissimæ, intellectûs vivacis, quem assiduô & magnô studiô excoluit, & capacissimum reddidit, præsertim in juris prudentia, & Sacrorum Ecclesiæ Canonum, consuetudinum & Styli Romanæ Curiæ peritia; qua de causa ad munus Cancellarij absente Cardinali Pampelonensi, qui Avenione manserat, longo tempore obeundum, fuit adhibitus. Maximam autem sibi comparavit valde probi Viri existimationem, præclara virtute,

Niem. l. 1. c. 1. Ciacon.

Annus 1378. tute, quæ in ejus vivendi ratione ante Pontificatum elucebat; videbatur valde humilis, modestus, literatorum & virtute præditorum amicus, devotus, mortificatus, diu noctùque Ciliciò vestitus, toto Adventu & à sexagesima usque ad Pascha jejunans, pro gloria Dei & pro bono Ecclesiæ magnopere Zelosus, quod solicitè recommendabat singulis Cardinalibus, ut videlicet illud in imminente Pontificis electione unicè præ oculis haberent. Sed cùm primùm Thronum conscendit, adeò prodigiosa in ejus vita consecuta est cum fortuna mutatio, ut totus alius homo apparuerit; videreturque multis, & præcipuè Gallis jam offensis, superbus, arrogans, ambitiosus, imprudens, iracundus, impetuosus, vindicativus, inexorabilis, & severus usque ad horrendos crudelitatis excessus: ut ità, derepentè ab uno extremo in alterum transiens, permultis occasionē præbuerit credendi, quòd vel nullas habuerit virtutes, quas ante suam præseferebat exaltationem, vel quòd eadem fortuna, quæ illum ad tam sublime fastigium elevavit, illas in momento ademerit, dum illis pro conservando honore & securitate propria, maximopere indigebat. Sic nimirum vitia subtili occultata hypochrisi, ut scopus conceptus attingatur, ferme cùm primùm obtinetur, erumpunt; & apparentiæ virtutis, quibus illa magno cum artificio tegebantur, eodem ferme tempore illicò dissipantur, quò creditur, vim sibi non esse inferendā, dum possidetur, quod quærebatur. *Ciacon.*

Intereà novus Pontifex, dum se in Throno Sancti Petri bene firmatum cerneret, ad omnes Principes Christianos scripsit, & ad omnes Episcopos Literas Circulares misit, in quibus dicebat, se rarô & mirô modô, qui nonnisi à Spiritu Sancto emanare poterat, mox communi omnium Cardinalium consensu electum fuisse, tametsi nunquam de Sacro fuerit Collegio. Idem fecerunt Cardinales communi omnium & singuli privato nomine, & scribebant, electionem Urbani, quidquid contra illam diceretur, liberam fuisse atque Canonicam. Aliqui tamen malè affecti occultâ viâ ad Carolum V. Galliæ Regem scripsisse dicuntur, ne quidquam eorum crederet, quæ pro Urbano significabantur, quia nimirum cuncta præstare cogebantur, quæ Electus iste atque Magistratus exigebant, alioqui periculum vitæ incursuri; Et quia exactè observabantur, vereri poterant, nè si quidpiam contra Urbanum scriberent, literæ ipsorum in manus ejus inciderent, & malè ab eo tractarentur. Sed hæc à solis Gallicanis, suspectæ fidei referuntur. *Ep. Encycl. Urb. ap. Spond.* *Lit. Card. in Cod. Vi-* *Annus 1378. Flor. Chron. Car. V. M. S. Bibl. Reg. Henric. de Hassia in Cod. Victor. Contin. Nangi.*

Hæc animorum dispositio parum favens Urbano, multum defecit ex modo gubernandi non omnino prudente, admodùm rigido & extra tēpus severo, atque nimiùm impetuoso, qui temperamentum suum atrabiliosum secutus, ubi lenire debuisset animos, ut in suas illos partes induceret, ad liberam & voluntariam sui novam agnitionem, adeò illos exasperabat, ut tandem ad extrema consilia mentes converterint. Fuit enim Urbanus Vir rigidus, asper, inexorabilis, arrogans, habendi cupidus, ac cunctis hominibus, & ijs præsertim, qui de eo bene meriti fuerant, Cardinalibus, ingratus: quibus sæpe honesta petentibus, cuncta negando, & gravissimis objurgationibus cum alijs Prælatis vexatos, ad subsequens parum opportunè Schisma incitavit. Primò enim, altero mox à sua Coronatione die conversus ad Episcopos, in Capella Pontificia Vesperis assistentes gravissimis eos objurgationibus invasit, & tanquam perfidos, perjuros & inimicos Dei objurgavit, servitij ejus proditores, Ecclesiarum suarum desertores, ut delicijs Curiæ Romanæ fruerentur. At, dum obstupescerent omnes ad tam terribilem sermonem, & tacerent; Martinus de Sylva celeber Doctor Hispanus, Episcopus Pampelonensis, qui Romæ Refe-

Annus 1378. Referendarij munere fungebatur, cum magna constantia, nihil de veneratione debita perdendo, respondit, se neque perjurum esse, neque perfidum, neque in Romana Curia degere propriæ utilitatis vel commodorum suorum, sed boni publici causâ; quod procurare tanquam honestus Vir conaretur, in officio, quo ipsum defunctus Pontifex honoravit: quô si privetur, ad suam Ecclesiam se rediturum, & meliùs quàm Romæ se habiturum. Desuper, cùm esset Vir magnæ authoritatis, non omisit admonere privatim Urbanum; quòd ei periculosum sit, omnes universim absque discrimine aggredi, injustè confundendo Viros probos cum illis, quos reprehensione dignos existimabat, si qui tamen in Cœtu illo fuissent. Sed malè usus est hic Pontifex tam sapienti monito. Post quindecim dies in primo Consistorio die Lunæ post Dominicam secundam Paschatis habito, prolixum habuit, super illa Evangelij verba: *Ego sum Pastor bonus*, sermonem, & valde asperum, & contumeliosũ, incultum & perperam intellectum, in quo universim omnes Prælatos arguebat, maximè autem Cardinales, Simoniæ, injustitiæ, extorsionum, scandalosi luxûs, perfidiæ, collusionis etiam cum hostibus Ecclesiæ, & plurimorum aliorum hujusmodi criminum: in fine concludebat sermonem, cum terribilibus comminationibus, contra omnes, nisi rationem vitæ mutent, severè absque respectu dignitatis ipsorum, instar cujuscunque infimi sui subditi puniendos.

Ciacon. in Clem. 7. Theodor. Niem. l. 1. c. 4. Ciacon. Theod. Niem. ibid. Ciacon.

Quamvis reipsa dici posset, ista provenisse à magno Zelo, quo tunc flagrabat; pro reformanda Romana Curia; certum nihilominus credebant Galli, prout ipse illius Secretarius, multa in ejus favorem scribens, fatetur, zelum ejus fuisse omnino indiscretum, atque immoderatum; qui paulò pòst pessimum produxit effectum, & animos extremè exasperavit, eorum qui credebant, sibi jus esse, toties approbatam electionem illius controvertendi, ejusque nullitatem, propter violentiam illatam asserendi. Quod autem minùs excusari poterat, & maximum causavit scandalum; illud erat, quòd Urbanus nullo reprehensionibus modo imposito, cùm esset indolis valde impetuosæ, dum semel adversùs quempiam irâ accendebatur, suo abreptus impetu fuerit, ut diceret, justitiam se facturum in Reges Galliæ atque Angliæ, qui suis discordijs totam perturbarent Christianitatem, quòd Regem Galliæ, Gallósque acerbè vulneravit, & aversionis ab Urbano præbuit occasionem. Postmodùm designando apertè & in particulari, unum è Cardinalibus præsentem, addebat illum perfidum esse, & quòd, cùm pacem inter illos Reges conciliare debuisset, prout à defuncto Pontifice mandatum habebat, eorum dissensiones execrabili suâ avaritiâ òccultè foverit, ut ab utraque parte pecunias corraderet.

Niem. c. 5. Annus 1378. Ciacon. Bzovius n. 14 Odor. Rayn. n. 25. Walsing. in Richar. 2.

Ille, quem tam amara impetebat exprobratio, erat Cardinalis Ambianensis Joannes de Grange, Monachus Benedictinus, Abbas Fescampij, qui ab octiduo ex Legatione sua Hetruriæ à Pontifice Gregorio pro pace tractanda missus, reversus fuerat. Hic Vir æquè saltèm ferox ac Urbanus erat, multum in favore Caroli V. Regis Galliæ confidebat, à quo ei Galerus Cardinalitius procuratus fuit. Sentiens igitur se in vivo læsum, dum etiam suus Rex lædebatur, quod pati nequiverat, cum furia consurrexit, & conversus ad Pontificem, cum gestu minaci dixit, *quòd tanquam Archi-Episcopus Bariensis mentitus fuerit*: & priusquàm otium haberet Pontifex illum intercipiendi, subitò è Consistorio abijt, & conscenso equo se fugâ salvavit; atque ad Regem Carolum redux, ærarij publici, & negotiorum curam, ut aliàs, resumpsit.

Propterea tamen Pontifex non magis moderatus evasit, sive erga Cardinales, sive erga Principes ipsos, quos eo tractavit modo, ut Secretarius

Niem. c. 7.

Annus 1378.

rius ejus, appellandum esse judicaverit insolentem. Et quasi urgere voluisset ultramontanos ad separationem, eos semper magis exasperando; simul faventissimum se Romanis exhibebat, gratijs & favoribus cumulando illos, qui Sacrum Collegium tam graviter offenderant, compellendo illud ad Pontificem Italum eligendum. Talia denique gessit, quæ planè inepta videbantur, jam repellendo cum contumelijs officialem, qui pecunias ex redditibus Cameræ Apostolicæ afferebat; jam ratificationem pacis feliciter cum Florentinis confectæ, respuendo, semperque innumeris alijs agendi modis, planè inordinatis, procedendi; ut Cardinales tandem crederent illum delirare, concluserintque inhærendum esse conclusioni, quam sæpius ante Conclave & in Conclavi protestabantur; videlicet, illum, quem in tam horribili tumultu electuri erant, verum Papam futurum non esse. Mirum sanè videtur, quòd hi Cardinales Gallicani, postquam electionē Urbani, toties, aliquot mensiū spatio, factis &, scriptis solemnibus approbâssent, immemores gestorum suorum, secessionem concluserint.

Niem. Ciacon.

Itaque, non violentia Populi Romani, vera fuit causa Schismatis, sed rigidus & asper ipsius Urbani VI. agendi modus, qui tandem compulit Cardinales, ad decernendum, electionem ipsius, quasi contra Sacros Canones factam, irritam fuisse. Quia verò liberè operari, aut se palàm declarare nolebant, quamdiu Romæ degebant; inviolabile custodiebant secretum, & interea necessarias capiebant cautelas, ut ad locum securum, ubi apertè contra Urbanum procederent, migrare possent, absque omni metu potentiæ aut violentiæ Romanorum.

Ciacon.

Imprimis de Castro Sancti Angeli se assecurârunt, cujus Gubernator Petrus Contelinus natione Gallus, Cardinali de Marmonstier, qui ei hoc munus procuraverat, promisit, se pro illis contra Romanos declaraturum. Secundò, tractârunt secretè cum Honorato de Cajetanis Comite Fundi, quem defunctus Papa Gubernatorem Campaniæ Romanæ seu Agri Romani constituerat, cui hanc Præfecturam Urbanus illico auferre, & Thomæ à Sancto Severino inimico hujus Comitis conferre intendebat. Insurgens igitur adversùs Pontificem, fœdus pepigit cum Cardinalibus, eisque suam pollicitus est protectionem. Eodem etiam tempore in suas partes attraxerunt copias exteras, quæ stipendia Sanctæ Sedis merebant, & contra Urbanum rebellârunt. Erant hi milites, quos Gregorius XI. conscribi curaverat in Britannia, quinque circiter millia Equitum, & quatuor Peditum, qui ante tres circiter annos in Italiam Duce Cardinali Gebennensi, contra Florentinos, & Civitates Sanctæ Sedi rebelles transiverunt. Sed quantumvis validissimi fuerint milites, adeò tamen se exosos Italis reddiderunt suis horribilibus dissolutionibus, quas ubique locorum perpetrabant, non magis amicis quàm inimicis parcentes; ut passim trucidarentur, & vix tertia pars eorum remanserit. Regebantur à Joanne de Malétroit, & Syvestro de Budes: & quia Bernardus de Sale Tribunus Vasconū cum copijs suæ Nationis se cum prioribus conjunxerat, satis robustam constituebant militiam, quam Cardinales corruperunt & in suas partes attraxerunt, operâ Cardinalis Eustachij, qui Tribunos pecunijs etiam Pontificijs corrupit; ut tandem spoponderint sua contra Romanos & Pontificē Romanū servitia.

Annus 1478.

Niem. Marian l. 18.

Froisart. Niem Bonincegn. l. 4. Argentre. l. 8. Ciacon.

Argentré. ibid.

Hi Cardinales ultramontani, omnibus ritè dispositis, nihil penitus observante Urbano, adeò industriè cuncta dissimulantes, & rebellionem tegentes facultatem à Pontifice rogabant, Româ durantibus caloribus exeundi, & æstatem Anagniæ, uti anno præcedente cum Pontifice Gregorio factum est, transigendi. Ea non difficulter obtentâ, quin Urba-

Annus 1378. nus quidquam de intentione illorum sinistra suspicaretur, omnes, successivè, Mense Junio ibi convenerunt, uti etiam Cardinalis Ambianensis, qui ante suum in Gallias abitum, tanti negotij videre cupiebat consummationem. Petrus de Cros Archi-Episcopus Arelatensis, frater Cardinalis Lemovicensis & Sanctæ Ecclesiæ Camerlingus, inter primos etiam advenerat, non petita Pontificis permissione, attulitque secum Tiaram, cum omnibus Pontificalibus ornamentis, & apparatu Capellæ Papalis, quam suæ custodiæ habebat concreditam. Res ista Urbano conspirationis contra se institutæ movit suspicionem, præsertim dum intellexisset, Cardinales restitutionem Pontificalium & Castri Sancti Angeli, prout illis præcipiebat, apertè negare. Tum enim verò pœnitudine tangebatur, sed serò nimis, quòd illos Româ discedere permiserit; & methodo mutata, ut suaviter eos revocaret, Tibur usque processit, & ibi tota æstate commoratus est. Inde tres Cardinales Italos, & complures alios spectabiles misit Prælatos Anagniam, ad exhortandos Cardinales, ut ad debita officia reverterentur, atque ad ipsum reducerentur, quibus omnium præteritorum pollicebatur oblivionem. Sed isti jam priùs miserant Episcopum Famaugustanum, & Nicolaum Sancti Severini Sacri Palatij Magistrum, ad Carolum Regem Galliæ & ad Universitatem Parisiensem, cum informatione de omnibus, quæ sibi proposuerant, gerendis: Pontifici verò ab eisdem Cardinalibus Italis, Mediolanensi, Florentino & Ursino, per Episcopum Pampelonensem, & Priorem Carthusiensem Neapolitanum, nunciari curabant, quòd cùm ipse in conscientia sciret, se in illa horribili violentia electum esse; pro vero Pontifice agnosci non posset: idcircò eum in Dei nomine obtestabantur, nè causa esse velit Schismatis in Ecclesia, volendo retinere dignitatem, quam legitimè possidere non potest. Sed Urbanus procul hac propositione abjectâ, semper asserebat se verum esse Pontificem, offerens nihilominùs Concilium Generale ad hanc Cardinalium Controversiam terminandam: hoc tamen Cardinales intelligere nunquam volebant, quòd nimirum ad ipsos pertineret cognitio, an electio fuerit coacta, & credebant, in eo rerum statu Concilium congregari, esse impossibile. Annus 1378.

Ciacon.

Ciacon.

Continuat Nang

Ep. Card. apud Walsing in Rit. 4.

Interea, dum de via invenienda pro concordiæ instauratione laboraretur, Urbanus vehementissimè animos denuo exasperavit, & Cardinalibus inimicis suis fulcrum præbuit fortissimum; Joannam Reginam Neapolitanam, suam singularem Benefactricem per summam ingratitudinem enormiter offendendo. Joanna, filia Caroli Ducis Calabriæ, erat simul Comitissa Provinciæ in Gallia, quartis Nuptijs Othoni Brunsuicensi Principi Nobilissimo dignissimóque desponsata. Urbanus utique multum ei debebat. Otho, magnus erat amicus & Protector Urbani, dum adhuc Archi-Episcopus erat Barij, exiguis fortunæ bonis provisus. Et hic Princeps primus erat, qui ei mox post exaltationem sua exhibuit officia, oblatis omnibus, quæ in sua potestate habebat; licèt eo ipso tempore valde inhumaniter ab Urbano tractaretur. Joanna quoque Regina, nihil omiserat eorum, quibus testari potuisset publicam suam de illius exaltatione lætitiam, eíque mox quadraginta millia coronatorum trasmisit cum navibus bene oneratis omni genere provisionum & refectionum, offerendo illi plenam de omnibus in Regno dispositionem. Et cùm nullas adhuc haberet corporis custodias proprias, præter illas, quas eadem Regina illi miserat; ideo sperabat, fore, saltèm gratitudinis ergô, illum sibi faventem; præsertim, cùm etiam insigni beneficio Sanctam sedem sibi obnoxiam fecerit, alie-

Ep. 3. Card ad Urb. apud Rayn. 42. & seq.

Niem. c. 6.

Id. c. 7.

Id. c. 6.

Annus 1378.

alienando in ejus obsequium, pulcherrimas sui Comitatus Provinciæ ditiones.

Vid. Tract. D. de Puy. Bouch. Hist. de Provinc 1348.

Hæc enim ipsa Regina fuit, quæ ante annos triginta, dum ipsa nonnisi viginti ætatis haberet, Avenionem Clementi VI. pro exigua pecuniæ summa, non nisi quadraginta millium librarum Gallicarum vendidit, totum residuum valorem hujus ditionis condonando, licèt Provinciales, qui hanc alienationem, semper appellabant maledictam & infaustam, de nullitate contractûs & venditionis protestarentur: his tamen & alijs contradictionibus non obstantibus, Pontificem in possessionem introduxit: ideòque spem sibi faciebat, fore, ut Urbanus memor hujus beneficij, omnibus Pontificibus communis, accedentibus etiam particularibus ei præstitis, aliquam esset illi benevolentiam exhibiturus, & occasionem redhostiendi libenter amplexurus.

Sed post breve tempus hac spe amissa Magnificam ad illum expedivit Legationem, in qua primas tenuit Maritus Reginæ Otho Brunsuicensis, cui Nicolaum Spinellum Cancellarium Neapolitanum sociavit, cum numerosa Nobilitatis comitiva. Hac Legatione primò præstanda erat obedientia & officia, quæ Principes Christiani solemniter exhibere solent summis Pontificibus: Secundò, pro inveniendis medijs periculosas sedandi perturbationes, & Cardinales cum Pontifice reconciliandi: tertiò denique, ut approbationem Urbani obtinerent, conjugij juvenis Marchionis de Monteferrato cognati Othonis cum Maria filia Friderici IV. Arragoniæ, Regis Trinacriæ seu Insulæ Siciliæ, Regni hujus hærede; quorum duorum Regnorum unio magnopere conducere poterat Ecclesiæ, & Schisma impedire.

Niem. c. 8.

Collenut. Hist. Neap. l. 5. Niem. Ciacon.

Niem.

Sed mira est infirmitas ambitionis, maximè in homine Ecclesiastico! semel eâ infectus, quietem non patitur; & si fortuna illum ultra omnia, quæ sperare poterat, ad felicitatem evexit, hæc inquieta passio eodem tempore omnia efficit, quæ reddere possunt infelicissimũ; Urbanus enim contra omnẽ suã expectationem, ad summum Pontificatum elevatus, videns altiùs evehi se non posse in Ecclesia; in animum induxit, tẽpus adesse, suã ad altiora provehendi prosapiam. Hac igitur ambitione impulsus, & tempore planè inopportuno, statuit laborare, ut Corona Siciliæ in Caput sui Nepotis Francisci Prignano caderet, juvenis hominis & omni merito destituti, procurando ei desponsationem cum filia hujus Reginæ, quam Optimates Regni Marchioni Montisferrati ipsa consentiente jam destinaverant, non obstante gravissima Joannæ Reginæ offensâ, quam Urbanus prævidebat.

Ciacon.

Annus 1378.

Niem. Ciacon.

Nicolaus Spinellus, magnus Urbani ante Pontificatum amicus, quidquid potuit, egit privatim & publicè, ut ei persuaderet, propriam ejus postulare utilitatem, ut in præsenti negotio justis desiderijs Reginæ & Principis Othonis annueret. Sed adeò parum detulit momentis rationum Spinelli, vel dissimulavit, aut bonis verbis moratus est, ut potius congenitum secutus impetum, Spinellũ acerbissimè offenderit. Dum enim in splendido convivio excepisset omnes, qui ad exhibenda sibi officia veniebant; vidissétque Cancellarium Neapolitanum, tanquam Legatum Reginæ Neapolitanæ, locô præ cæteris honorabiliore prope Principem Othonem assidere, mandatum ei significari curavit, ut illico inferiorem caperet locum, relicto priore, qui ei non competebat.

Niem.

Collenut. Hist. Neap. l. 5.

Hic Pontifex Neapolitanus credere poterat, quòd Spinellus, qui pariter Neapolitanus, & sinè dubio ejusdem genij, nunquam condonaturus esset tam atrocem injuriam, & media quæsiturus, ad vindictam; prout fecit. Nam sive aliquid de intentione Urbani subodoratus fuerit; sive quòd ex ejus imperiosa indole, sibi perspecta judicaverit, quæ facere posset; certum est, quòd re-

M. S. varior.

Annus 1378. apud Raynal. Collenut Hect. Signat. Diar. ap. Rayn. Niem. Ciacon.

dux Neapolim talia tantáque Reginæ dixerit, ad persuadendum, quòd hic Pontifex violentus, eam Regno spoliare satagat, ità ut eam facilè induxerit, ad declarandum se pro illo Pontifice, quem Cardinales essent electuri. Isti autem sermonibus ejus animati, & de tam potenti protectione securi, tandem concluserunt; ad exequenda sua cœpta, atque ad eligendum novum Pontificem; esse procedendum: quod hoc modo instituerunt.

Inprimis mandatum dederunt, ut Britones & Vascones, qui jam in terras Pontificias pervenerant, in agrum Romanum procederent, ad protegendam contra Urbanum electionem faciendam; & interea coram Archi-Episcopo Arelatensi Ecclesiæ Romanæ Camerlingo illam, de qua diximus, fecerunt Attestationem Legalem; in qua recensitis omnibus, quæ gesta fuerant in electione Urbani, cum violentia Romanorum Sacro Collegio irrogata, jurejurando protestabantur, quòd per illa omnia, quæ post electionem illam egerunt Romæ, ubi nulla ùt eis loqui placebat, gaudebant libertate; nullatenus voluerint ostendere illam fuisse legitimam, cùm adeò coacta & Sacris Canonibus fuerit contraria. Postmodùm Camerlingus illum ad suum citavit tribunal, non alio quàm Bartholomæi Archi-Episcopi Barienfis nomine compellando, tanquam intrusum in Pontificatum. Eodem tempore tredecim Cardinales ultramontani sollicitabant & urgebant, quatuor Italos, ad comparendum Anagniæ, ad procedendum unanimi consensu ad electionem Canonicam novi Pontificis, cùm de sede vacante ambigere non possent, ob manifestam intrusionem Bartholomæi Prignani. Interea die nono Augusti Archi-Episcopus Hydruntinus Patriarcha Constantinopolitanus, Missâ Pontificali solemniter celebratâ in magna Ecclesia Anagniæ, Ambonam conscendit, & in præsentia tredecim Cardinalium & innumerabili multitudine Prælatorum, Ecclesiasticorum, Nobilium & populi, omni ex parte accurrentium, ad spectatum tantæ actionis; legit Declarationem, in qua Cardinales admonebant omnes Fideles, nè Bartholomæum Archi-Episcopum Barienfem, intrusum in Pontificatum, pro vero agnoscerent Pontifice, cùm non nisi coacta fuerit ejus electio.

Ep. Card. ap. Raynal. n. 48.

Ciacon.

Annus 1378. Declarat. Card. ap. Walsing. in Ric. 2.

Post hæc ut securi essent magìs quàm Anagniæ, in urbe non munita, & in Ditione Ecclesiæ; in Civitatem Fundorum Regni Neapolitani sub Protectionem Reginæ & Comitis Cajetani migrârunt. Ibi Consiliô Cancellarij Nicolai Spinelli, qui tanquam Legatus Reginæ perpetuò cum illis agebat, medium tandem repererunt, residuos tres Cardinales Italôs alliciendi. Bonus enim Cardinalis Sancti Petri Theobaldescus, jam obierat, agnoscens pro vero Papa, Urbanum. Tres illi Cardinales, Mediolanensis, Florentinus & Ursinus, nondum plenè resoluti, Sessæ ad deliberandum, quid in hoc rerum statu agendum esset, convenerunt, frustrà eos Tibur ad se revocante Urbano, qui metuebat, nè cæteris accederent. Intereà Cardinalis Ursinus occultè Neapolim ad Reginam excurrit, ad percipiendas ejus intentiones, quas cæteris duobus Collegis Sessam redux aperuit. Tunc ultramontani, ex consilio Spinelli censebant, utendum esse mediô, quod ijs valde opportunum videbatur ad alliciendos tres illos Cardinales Italos, quod reipsa prosperè successit. Sciebant illi, omnes tres, sed maximè Jacobum Ursinum vehementissimo flagrare desiderio Pontificatûs post mortem Gregorij adipiscendi, & quòd, si adhuc spem illius haberent in electione instituenda, quæ illorum ambitionem blandè mulceret, magnum foret argumentum, ad persuadendam illis, conjunctionem cum ipsis pro eligendô novo Pontifice. Quapropter postquàm omnes tres in communi adhuc solicitâssent, & ad

Niem. Ciacon.

Niem. c. 9. Ciacon. in Clem. 7.

Annus 1378. & ad novum Conclave illos invitâssent, singulis seorsim & secretò miserunt epistolam, quâ unusquisque monebatur conclusum esse, illum in Pontificem eligendum, si quantocyùs Fundis comparuerit. Nihilominùs instanter rogabantur singuli, de arctissimo secreto servando, nè alioqui reliqui duo hoc arcanum rescientes, & exclusione sui irritati, electionem conceptam impedirent.

Nihil magis idoneum est, ad fallendum hominem, quantumcunque solertem, & sagacem, quàm propria sua passio, quæ illum adeò excæcat, ut non cernat id, quod minùs illuminatos non lateret, à præoccupatione animi liberos. Horum Cardinalium ambitio, & ardens Pontificatûs desiderium, ità mentem & oculos splendore Tiaræ perstrinxit cum falsa spe illis data, ut ab omni alio discursu de re tam delicata, quæ illis plures ob causas meritò suspecta esse poterat, cæcè in laqueum expansum inciderint. Atque ità unusquisque jam se Papam esse credens, vultúmque dissimulans, satis amœnâ comœdiâ, nè quidquam suus notaret Collega, qui ex parte sua idem sollicitè agebat; & omnes tres in sua deliberatione, in eamdem sententiam post hanc ultimam sollicitationem consenserunt, ac demum concluserunt, junctionem cum Ultramontanis fratribus suis amplectendam esse, qui plus quàm duas partes Sacri Collegij conficiunt. Hac resolutione facta, Fundos Mense Septembri advenerunt, ubi magnificè à Cardinalibus excepti fuerunt, & à Comite Cajetano, qui eis in occursum exiverant, eósque in Palatium, in quo paulò post eorum adventum Conclave paratum erat, deduxerunt. Ibi primò decreverunt, Electionem per scrutinium esse instituendam, ut majori cum libertate procederetur; dein sedecim Cardinales, omnes videlicet, qui tunc in Italia aderant, ad ferenda suffragia processerunt; & mox in primo scrutinio tres Cardinales Itali, se sua spe delusos viderunt. Nam Robertus Cardinalis Gebenensis suffragijs omnium ultramontanorum Pontifex electus est die vigesimo ejusdem Mensis, & more solito adoratus, assumpto nomine Clementis VII. atque in magna Ecclesia ritu solemni coronatus, in præsentia Ducis Othonis Brunsvicensis, Principis Tarentini, Legatorum Reginæ Joannæ, & plerorumque Regni Neapolitani Optimatum. Annus 1378.

Maximi animi erat hic novus Pontifex, omnia contemnens pericula ad cœpta semel inchoata, constanter prosequenda: ex quo etiam motivo, ultramontani, quibus notus erat, omnes una voce illum elegerunt, persuasi, neminem alium illô magis idoneum esse, qui suam meliùs esset contra Urbanum electionem tuiturus: & quia vel cognatione, vel confœderatione conjunctus erat cum plerisque Principibus Europæ, credebant, hâc peculiari consideratione futurum, ut pro illo Principes isti se declararent.

Sed non ità evênit. Tametsi enim statim post hanc electionem Cardinales scripserint ad omnes Principes, & ad omnes Fideles, eósque informaverint de omnibus, quæ gesta fuerunt Romæ, Anagniæ & Fundis, protestando semper, Urbanum non nisi per coactionem violentam electum fuisse: quia tamen jam spatiô quatuor Mensium pro vero Pontifice ab ijsdem & alijs omnibus agnoscebatur, secundùm priores litteras, quas illi ipsi de illa scripserant liberâ & Canonicâ electione; ideò sub initium, nemo Clementi adhærebat, præter Joannam Reginam Neapolitanam cum suo Regno, Provinciam, Avenionem, & sex Cardinales, quos ibi Gregorius reliquerat. Et quamvis alia quæpiam Regna, Provinciæ atque Nationes tandem pro Clemente se declaraverint, prout in decursu Historiæ istius videbitur, major tamen pars Orbis Christiani constanter in obedientia Urbani permansit. Et hæc est ratio, propter quam hic Pontifex & successores ejus in catalogo

Annus 1738. verorum Pontificum jure merito recensentur, ità ut eorum successores etiam pro talibus censeri debeant. Placuit enim in Gallia potissimùm, credere locum esse dubitandi, de vero Pontifice quousque supremâ Ecclesiæ authoritate, duo isti pacis causâ non deponerentur, & unus aliquis constitueretur, de quo dubitari non posset, quin verus esset Pontifex, quamvis in longè majori parte Christianitatis, nullum ejusmodi fuerit dubium. Priusquàm hoc fieret, visum est, Adversarijs Urbani quod Jura partium nunquam ità clara & liquida fuerint, ut pro una vel altera quidpiam saltèm in Gallia determinari potuerit. Re ipsa, ex utraque, inæquali tamen parte, doctissimi erant Jurisconsulti, celebres Theologi & magni Doctores, qui immediatè post Schisma Clementinum exortum scripserunt Libros & Tractatus, alij plures pro Urbano, alij pauciores pro Clemente Præter Libros typis excusos habentur Manuscripta pulcherrima, præsertim in antiquis Bibliothecis, Sancti Victoris Parisijs, Collegij Funensis Tolosæ, maximè autem Romæ in Bibliotheca Vaticana, ubi triginta duo grandia volumina reperiuntur, in quibus innumera, quæ in utramque partem magis tamen pro Urbano scripta fuerunt, continentur. Denique Deus ipse, qui magnis miraculis illustrare dignatus Sanctitatem complurium eorum, qui in Controversia ista dividebantur, in una & altera obedientia, manifestè declaravit hoc ipso, quòd sic bona fide manere potuerint in opinione utrinque probabili, propter ignorantiam facti.

Sic fulmina & anathemata, quæ duo Pontifices contra se invicem suósque adhærentes vibrabant, neminem invincibiliter ignorantem lædebant. Et illi scriptores impetuosi, qui hodiedum, tanquam Schismaticos tractant, eos, qui in Urbani fuêre obedientia, quam ipsi non approbant; ignorant, quid honestos Viros Catholicos & Historicos in scribendo deceat, non nisi debiles facti Declamatores, privata sua authoritate decidere non verentur, pro Antipapa Clemente, cum exiguo judicio & magna temeritate, quod ipsa Ecclesia non judicabat esse statim definiendum. Fuerunt omninò eodem tempore duo Pontifices, quin post controversiam à Cardinalibus Gallicanis excitatam certò constaret omnibus, uter eorum verus esset vel falsus; & quamvis Fideles dividerentur, quoad agnitionem Personæ pro vero Pontifice, in quo innocenter falli poterant, non tamen desierunt perfectè adhærere Sanctæ Sedi, tanquam centro unitatis, non minùs verè quàm dum eadem Sancta sedes vacat. Annus 1378.

Urbanus, Romam reversus Tibure, habitabat ad Sanctam Mariam trans Tiberim propter Castrum Sancti Angeli, quod pro Cardinalibus stabat; & vehementer attonitus est, quòd se à toto Sacro Collegio derelictum videret, imò etiam à plerisque alijs Prælatis & Officialibus Romanæ Curiæ, qui aut Fundos aut in ædes proprias discedebant, incerti adhuc, utri partium adhærendum esset. Tantum inde animi dolorem concepit, ut licèt aliàs intrepidus & magnanimus, à lachrymis tamen temperare sibi nequiverit, & Secretarius ejus asseveret, à se visas esse uberes lachrymas, quas profundebat, in deplorando statu, in quem inciderat, postquam solemniter fuisset adoratus ab illis ipsis, qui eum deturbare conabantur ex Throno, ad quem illum elevârunt. Sed eodem tempore consolationem capiebat ex litteris, quas ei Sancta Catharina Senensis scribebat, animando illum ad tuendam & conservandam suam dignitatem contra omnes inimicorum suorum conatus, qui eum spoliare Pontificatu volebant. Hæc admirabilis Virgo, sublimi Sanctitati rarum sociabat ingenium, & animum, vires ordinarias sui sexûs longè superantem, principalis fuit causa reditûs Pontificis Gregorij, qui pecu-

Ciacon. Niem. l. 1. Ep. S. Cathar. Senen.

Annus 1378. peculiariter in hoc negotio se gubernabat ejus consilijs, juxta quasdam revelationes, quas illa infallibiles credebat; quod tamen, non propter revelationes Sanctæ Virginis, sed alias ob causas quod nimirum tam serò suum reditum distulerit, utì posteriùs fatebatur etiam in morte, optabat non fuisse factum. Cùm Sancta hæc, pro legitima teneret Urbani electionem, sciretque optimè, prout ipse protestabatur, quòd nunquam pro Avenione Romam deserturus esset, ùt maximè timebatur in Italia, nè id Pontifex ultramontanus faceret; pro illo apertè se declaravit; cum reliqua potiore Christianitatis parte, & omnes vires intellectûs & eloquentiæ impendit per omnia scribendo, ut omnes ad eum agnoscendum induceret. Ad ipsum etiam scripsit sex illas epistolas, quæ inter alias ejusdem Sanctæ collectas epistolas videri possunt: ubi postquàm eum exhortata esset ad leniendum tantisper dolorem, & ad constantiam in sua persecutione; suadet, ut à nimia aliquantùm remittat severitate, quæ tot ei peperit inimicos, & quantocyùs novum constituat Collegium Cardinalium, ex personis ad serviendum Ecclesiæ hac occasione idoneis, atque à merito claris, qui tanquam firmæ columnæ sustineant ædificium.

Ciacon.

Ep. S. Cather. Senen.

Urbanus, quem adversitas, ùt fieri solet, magìs tractabilem reddidit, ex his monitis profecit. Hic Pontifex, qui ab initio adeò formidabilem se fecit, tanta cum authoritate, ac ferocia Cardinales tractando, subitò ab uno extremo in alterum transijt, & se demittebat, infimis etiam blandiendo Officialibus, se coram illis humiliando, eos, nè recederent, ad Officia eorum, qui jam secesserant, elevando. Et ut sibi Curiam summo Pontifice dignam formaret, qui nè unicum habebat Cardinalem, tandem una promotione, viginti novem, ex omnibus Nationibus, biduo ante electionem Clementis, creavit, præter illos, qui oblatum Galerum ex humilitate Christiana non acceptârunt. Annus 1738.

Niem. c. 10.

Aut. Vit. Clem. Ciacon. Not. Bosq. ad Clem. VII. p. 244.

Eodem tempore ambo Pontifices, suos miserunt Legatos ad omnes Principes Europæ, ut eos in suas partes inducerent. Sed Urbanus longè prævalebat numerô illorum, qui in sua perseverabant obedientia, contra Clementem, qui etiam sibi novos creavit Cardinales, ut Collegium æquale alteri erigeret. Cùm Urbanus Tibure confirmâsset electionem Wenceslai Regis Bohemiæ pro successione ad Coronam Imperialem; Carolus IV. Imperator, & post ejus obitum, qui hoc anno accidit, filius ipsius Wenceslaus in obedientia Urbani permanebant, cum tota Bohemia & toto ferme Imperio, quod exemplum totus ferme secutus est septentrio. Angli, semper Gallis oppositi contra quos pugnabant, nè quidem audire volebant Cardinalem Legatum Clementis, quem semper pro Antipapa habuerunt: nec plùs effecit idem Cardinalis in Belgio, cujus Provinciæ, pro Urbano se declarârunt, Hannoniâ exceptâ, quæ neutri adhærebat. Ludovicus Flandriæ Comes licèt cognatus Clementis, etiam illum agnoscere constantissimè detrectabat; quia nimirum, dum esset Cardinalis Gebennensis sibi post electionem Urbani scripserat, eámque approbabat. Ludovicus Hungariæ Rex, Neapolitanæ Reginæ inimicus, idem fecit, ejúsque uxor Elisabetha Regina, Jesum-Christum honorare volens in persona Urbani, magnificam ei cum ornamentis valde pretiosis transmisit Tiaram gemmis corruscam locò illius, quam Archi-Episcopus Arelatensis Camerlingus abstulerat, quando Anagniam ad Cardinales abiverat. Quod autem arctiùs hunc Regem, utì etiam Wenceslaum Regem Bohemiæ Urbano junxerat, erat actio planè inexcusabilis Clementis ejúsque Cardinalium, qui vehementer irritati fuerunt, quòd hi duo Principes Legatos miserint, qui dum adhuc Fundis morarentur rogabant nomi-

Auth. Vit. Greg. XI. Ciacon.

Walsing. in Rich. 2.

Froissard.

Niem. c. 16.

nomine suorum Principum, ut ad debita redirent officia, seque Urbano submitterent, quem in Pontificem canonicè elegerant; illi verò Legatos, qui erant Ecclesiastici, contra jura Gentium malè tractaverint, & in carcerem tanquam sceleratos & rebelles Ecclesiæ detruserint. Potior Italiæ pars, stabat pro Urbano qui cum Florentinis & Viscontio Mediolanensi pacem conclusit. Reges Hispaniæ initiô Schismatis, adhuc tempore illo obediebant Urbano, neque Cardinalem Petrum de Luna, nisi quatenus Hispanum; non verò Legatum Clementis Papæ, admiserunt.

Auth. Vit. Clem.

Tanta prosperitas negotiorum Urbani, causam ei præbuit resumendi Spiritum suum altum, & imperiosum, cujus impulsu ferè semper favente fortunâ operabatur; ità ut post breve tempus tota Hispania se ab illo separaverit. Cùm in animum induxisset, ut indignum Nepotem suum efficeret Siciliæ Regem, desponsando illi Principissam pulchri illius Regni hæredem; postulata Petri Arragoniæ Regis procul rejecit, qui hoc Regnum ad se pertinere asserebat, vi substitutionis in suum favorem factæ à Rege Friderico I. suo magno Patruo. Et non contentus responsô suô negativô & valde inofficioso, severitatem suam eò provexit, ut ei spoliationem Regni Arragoniæ minatus fuerit, si deinceps de Sicilia vel etiam de Sardinia, quam ei tollere parabat, cogitaret. Hoc responsum adeò asperum hunc Principem vehementer irritavit, ità ut eum pro vero Pontifice nullatenus agnoscere voluerit, néque tamen adhuc adhærere Clementi. Neutrius ergo partes secutus durante hac prætensa juris incerti de vero Pontifice ambiguitate, omnia bona & proventus ad Sanctam Sedem pertinentes, sequestrari curavit, usque ad decisionem controversiæ, & certam de vero Pontifice notitiam, Id ipsum approbavit, & imitatus est Rex Castiliæ in suo Regno de Consilio Procerum suorum Toleti celebrato. Tanti Urbano constitit ambitio. Pro uno Regno, quod in suam intrudere voluit prosapiam, & illud, quod pro suo quærebat Nepote, amisit, dum Maria Siciliæ hæres tandem in Matrimonium data est Martino filio Ducis de Monte albo, à Petro Arragoniæ Rege descendenti; & duo alia perdidit, quæ in ejus erant obedientia, & paulo post Clementi accesserunt.

Surit. l. 3.

Anno 1378.

Hunc Pontificem Clementem agnoscebant Regna, Neapolitanum, Scotiæ & Cypri; Comes Sabaudiæ, & Comes Gebennensis frater Clementis, Dux Lotharingiæ & Dux de Bar; Juvenis Leopoldus Austriæ Dux cum nonnullis Principibus & Urbauus Germaniæ: quos Cardinalis Legatus Clementis attraxit, eum tamen Imperator, huic Pontifici Clementi apertè adversus, in suis ditionibus tolerare noluit. Ejus partes notabiliter auxit Gallia, quæ pro Clemente solemniter se declaravit. Regnabat illo tempore in Gallijs Carolus V. Princeps regijs dotibus, eminentibus virtutibus, prudentiâ consummatâ, & magna pietate præditus, qui cognomen sapientis est promeritus. Posteaquàm literas Mense Majo accepisset à quibusdam Cardinalibus, à quibus rogabatur, nè fidem tribueret illis, quæ ab Urbano de sua electione significabatur, usque dum plenè de veritate informaretur; Legatis novi Pontificis respondit, se nihil de hac electione à suis Ministris Romæ degentibus accepisse; & officia more consueto exhibiturum, ubi certus fuerit factus de legitimè electo Pontifice. Sed cùm ex altera parte Episcopus Famaugustanus & Pater Nicolaus à Sancto Saturnino Dominicanus, Magister Sacri Palatij, à Cardinalibus ad Mensem Augustum missi ad Regem informandum, asseverarent Archi-Episcopum Bariensem pro verò Pontifice haberi non posse, & protectionem Regis contra illum intrusum expeterent; nihil de super finè consilio sapientum Regni

Auth. Vit. Clement. 7.

Chron. Car. V. Ms. 8 Bibl. Reg. c. 71. Contin. Nang.

Annus 1378.

gni sui, statuendum esse judicavit.

In hunc finem Parisijs die undecimo Septembris in magna Palatij aula congregavit sex Archi-Episcopos, triginta Episcopos, complures Doctores Theologiæ & Sacrorum Canonum: ubi tandem Regi suadebatur, ut Cardinalibus ità responderet, ut tamen pro electione Urbani vel contra illam se non declararet, donec veritas magis inclaresceret. Rex juxta consilium hoc, responderi curavit Episcopo & Sacri Palatij Magistro, ijsque abeũtibus adjunxit, Viros de suo Consilio idoneos; Qui post electionem Urbani fundos pervenerunt, & solicitè in omnia inquisiverunt, ac deposita Cardinalium testimonia acceperunt, qui super sacro sancto Corpore & sanguine JEsu-Christi Jurârunt, vera esse omnia, quæ de coacta electione Archi-Episcopi Bariensis asserebant, & literas authenticas, sigillis Cardinalium firmatas Legati reduces Regi attulerunt. Cúmque apud eum instaret uterque Pontifex, pro sua quisque dignitate conservanda, alium congressum circa dimidium Novembris in castro Vincenniano prope Parisios instituit, ubi maximi Viri totius Regni, Consiliarij, Prælati, & celebriores plurium Universitatum Doctores convenerunt.

Paul. Almil. in Car. 5. M.S. Chron. Car. V. Contin. Nang.

De Puy. Tract. de Schis. Vit. Pontif.

Chron. M. S. Car. 5. pag. 75

In magno isto Consilio, summa cum diligentia examinabatur grande hoc negotium. Aderat plena de rebus omnibus, & rationibus utriusque partis, quæ allegabantur informatio. Jam enim celeberrimi Doctores, optimos de Controversia ista edebant Tractatus, inter alios, Doctor Buloniensis, & Abbas Sancti Wasti Arelatensis Joannes Faber Doctissimus Vir, qui tanquam Consiliarius Regis aderat, eò tempore scripserant, quidquid solidum & plausibile dici poterat, unus pro Urbano, alter pro Clemente. Unusquisque magna cum libertate sua proferebat sensa pro uno & altero Pontifice. Erant, qui pro neutralitate stabant, quam fortissimè tuebatur

Paul. Almil. in Car. 5.

Episcopus Cameracensis: Eam tamen scriptò impugnabat Cantor Parisiensis Vir præstantissimus, & probabat, si relationi Cardinalium creditur, agnoscendum esse Clementem; si verò non creditur, adhærendum esse Urbano, atque ità neutralitatem admitti non posse.

Annus 1378.

Hæc opinio tandem, exclusa neutralitate, recepta fuit, & conclusum, pro uno vel altero decidendum esse. Et certè Jus Comune, omnésq; leges Ecclesiasticæ & Civiles præcipiunt, ut in lite duarum partium, quælibet retineat quod possidet, usquedum constet, cui certum jus faveat: alioquin dum duo pro integra possessione agri litigant, cujus partem quisque possidet, uterque ex possessione excuti deberet; quod injustum foret. Cùm igitur indubitatum esset, unum è duobus Pontificibus, esse verum, & alterum intrusum; ideò credebatur in hoc consilio, utrique obedientiam negari non posse in neutralitate, absque injuria illius, qui est legitimè electus; & quòd uni è duobus accedẽdo, cui nimirùm jus rationabiliter favere videtur, bonâ fide procederetur. Verum est, quòd longè posteriùs subtractio ab obedientia utriusque secuta fuerit, amborum depositione, ut unus certus & indubitatus eligeretur Pontifex: Sed, quod particulares communitates, nonnisi injustè & contra leges facere poterant; justissimum evasit, quando Ecclesia universa lumine Sancti Spiritus illustrata id fecit ad abolendum schisma, quod aliter exstingui nequibat: & cùm prætereà ambo jurejurando spoponderint, quòd renuntiare vellent Pontificatum, quisque pro sua parte, si videlicet adversarius pariter resignaverit; nihilominus illo eodẽ tempore colludebant, prout etiam deinceps colludebant, ut perpetuam suarum partium obedientiam retinerent: at, etiam in tali casu, neminem obstrictum fore, ut uni vel alteri adhæreat; utrumque autem compelli authoritate suprema posse ad juramentum factum implendum. Pro-

Annus 1378. inde conclusum est in hoc cœtu, illi adhærendum esse Pontifici, qui præ suo adversario meliùs fundatus reperiretur.

Durante autem inquisitione de facto, an videlicet Cardinales in libertate fuerint ante & post electionem Urbani, tandem conclusum est, juxta opinionem Abbatis à Sancto Wasto, quòd de veritate facti melior & securior notitia, comparari non possit, quàm per testimonia omni exceptione majora, qualia erant ipsorumet Cardinalium, qui electioni interfuerunt, & meliùs quàm omnes alij nôssent, quæ in ea, gesta fuerint; suámque attestationem authenticam in optima forma juramentô solemnissimô & sigillô firmatam ad Regem transmiserunt. Sed quis non videt, testimonia Cardinalium Gallorum, qui suo Clementi, & Regi obnoxij fuêre, omni exceptione minimè caruisse? Postquàm hæc resolutio publicè lecta fuisset, Rex pro majori adhuc securitate, Cardinalem Lemovicensem Episcopum Palestrinæ, qui ad Regem informandum à Clemente missus fuerat, juridicè interrogari curavit, & urgeri, ut clarè & sincerè coram illo inclyto Cœtu ediceret, quæ in conscientia de hac electione Urbani sciret. Tum Cardinalis succinctè recensitis, quæ confratres sui in sua declaratione attestabantur, de violentia perpessa, & de protestatione ab ijs facta, quòd omnia, quæ Romæ acturi essent, ubi debita carebant libertate, forent irrita & nulla, magnum & vivum Deum in testem vocabat, & cùm terribili juramento protestabatur, vera esse omnia, quæ de facto illo referebantur. Postea itum est ad ferenda suffragia: ubi omnes penitus penitúsque, absque ulla sententiarum diversitate consenserunt, majorem certitudinem humanô modô, haberi non posse, de facto controverso; cùm Cardinales, qui soli electionem conficiebant, in conclavi, unicè attestari possent, quæ in illa gesta sint electione; nec rationabiliter credi posset, Virum tantæ ac notoriæ probitatis, qualis erat Cardinalis Lemovicensis pejerare voluisse in causa tanti momenti, & consequenter æternam incurrere damnationem, absque ullo privato suo emolumento, aut honoris augmento.

Continua. Nang.

Chron. M. S. Car. 5. Contin. Nang.

Annus 1378.

Hæc profectò non dissonant à narratione Ciaconij, nempe quòd Cardinalis Florentinus die quodam juramento obstrinxerit Lemovicensem, ut sibi ità responderet, ac si in mortis articulo esset, interroganti, an liberè Urbanum elegerit, vel saltèm an electionem liberè ratificaverit post conclave, Urbanum pro vero Pontifice agnoscendo? cui Cardinalis iste absque omni hæsitatione, prout alij fecêre Cardinales, Glandoviæ, Britanniæ, & Vivieres respondit, quòd omnia quæ Romæ egit circa electionem istam, non nisi coactè ad mortem vitandam egerit: & extra Romam constitutus, Archi-Episcopum Bariensem nunquam electurus fuisset. Sic igitur, postquam in cœtu illo conclusum fuisset, inhærendum esse attestatis Cardinalium, quæ contra omnia privatorum prævalere deberent testimonia; & cùm quæstio juris decidenda unicè dependeret à facto, de quo jam dubitari non poterat; consilium Regis, Prælati Galliæ, & Doctores, una voce omnes concluserunt, electionem Urbani esse irritam & nullam, legitimam verò & omninò canonicam Clementis, utpote liberè peractam ab omnibus Cardinalibus, qui tunc in Italia degebant, & à Cardinalibus Avenionensibus receptam, qui consequenter in tota Gallia pro vero Pontifice agnoscendus esset, atque pro tali, à Rege declarandum esse omnibus Regibus & Principibus suis confœderatis. Subsistet hic utique prudens Lector, & mirabitur in consilio isto authoritate Laica instituto decisionem, quæ vix à Synodo authoritate Ecclesiæ, in re tanti momenti, & merè Ecclesiastica in quæstione facti, tam facilè definiri posse videbatur.

Ciacon. in Greg. XI. Auberi. Hist. de Cardin.

Chron. M. S. Carol. fol. 75. & 76.

Hæc

Annus 1378. Hæc nimirùm in celebri illo conventu Vincenniano decisa fuerunt. Sed Rex adhuc alia via in re tam delicata securitatem & quietem animi quærere voluit, eam videlicet, quam solidissimam & oportunissimam judicabat, contra omnes, quæ oriri possent objectiones. Dum in Castro Vincenniano de grandi hoc negotio deliberaretur, disputationes in scholis magnopere incalescebant, partim pro Urbano, partim pro Clemente, partim etiam pro neutralitate. Rex proinde literas misit ad Universitatem suam Parisiensem, quæ tunc in maximo vigebat flore, ut de hac tanti momenti controversia deliberaret, & suum arbitrium sibi perscriberet. Universitas congregata supplicabat Regi pro tempore indulgendo, ad negotium tam arduum & tanti ponderis, & sinè exemplo in Ecclesia, maturè perpendendum, & quàm exactissimè discutiendum; rogabátque nè more aliàs recepto, ad plura suffragia in decidendo alligaretur, sed ut de unanimi & communi omnium Facultatum atque Nationum res tota definiretur consensu. Rex admodùm sapiens & moderatus, in omnia hæc Doctorum postulata lubens consensit, morâ pro responso & decisione, usque ad vigesimum diem Maij illis concessâ; districtè illis præcipiens, *ut omnibus passionibus ab animo unius cujusque eorum rejectis, solum DEUM & ejus judicium præ oculis habentes, justè ac deliberatè concludere studerent, quod ad divinam laudem, Ecclesiæ ac fidei cederet emolumentum.* Dum spatiô quatuor & ampliùs mensium, controversia ista exactissimè discuteretur; tres Facultates, Theologica, Juridica, Medica, & in facultate Artium, Nationes Gallica & Normandica, semper pro Clemente concludebant: sed nationes Picardica & Anglicana seu Germanica, prout à Schismate Anglicano appellabatur, neutralitati constanter insistebat. Quapropter, cùm sententiæ dividerentur, licèt tres primæ facultates, & duæ Nationes consentirent, & contenderent causam esse decisam; duæ nihilominùs adhuc institutæ fuerunt congregationes, ubi duæ illæ nationes, quæ pro neutralitate stabant, tandem communi sententiæ accesserunt: quod ex Brevi Clementis manifestè apparuit ad facultatem Artium scripto, cui suam testabatur lætitiam, quòd *postquàm aliquantulùm hæsitasset, responsionem benevolam & Orthodoxæ fidei congruam piâ mente dederit.* Atque ità Facultates omnes in una eadémque sententia concordes fuerunt: & Universitas die trigesimo Maji solemnem misit Deputationem ad Regem, qui in Castro Vincenniano cum Duce Andegavensi Fratre suo, Principe Navarræ Carolo, & permultis alijs Regni Optimatibus, Episcopis & alijs Prælatis, Regi à dextris assidente Cardinali Lemovicensi, Legato Clementis & alijs duobus Cardinalibus Legatis pro Germania & Anglia morabatur. Ille, qui nomine Universitatis loquebatur, præmissis debitis erga Regem Officijs, rogabat suam Majestatem, ut parceret, si nimiùm distulit suam declarationem Universitas, dicens, quòd secundùm Sanctum Gregorium, Maria Magdalena non tantùm profuerit Ecclesiæ confestim credendo resurrectionem, quantùm Sanctus Thomas, qui de illa diu dubitavit; quia nimirum hæc dubitatio causa fuit, quòd magna illa veritas fuerit solidiùs illustrata & fortiùs confirmata. Tum suam protulit nomine omnium Facultatum sententiam: *quòd Universitas adhæreret, atque adhæsura esset Papæ Clementi VII. tanquam vero Pontifici, & supremo Ecclesiæ universalis Pastori.* De qua declaratione illicò publicum & authenticum confectum est instrumentum. Tales cautelas in re tam delicata voluit Rex Carolus adhibere. Desuper suam promulgari jussit declarationem, eámque cum suis motivis & argumentis ad suos Con- Annus 1379.

Ep. Reg. Carol. ad Univers.

Litt. Clem. ad facul. Art. 7. Kal. Aug.

Puissar. a. Vol. c 35.

Confœderatos perscripsit, de sua partibus Clementis adhæsione; quam si omisisset, Schisma exstinxisset.

Hæc tam solemnis declaratio Regni Christianissimi magnum ubique non sinè scandalo causavit rumorem & partes schismaticas Clementis auxit. Id etiam impulit sanctam Catharinam Senensem ad laborandum totis viribus pro Pontifice Urbano, & ad scribendum Regi Carolo literas urgentes, ut eum ad hunc Pontificem reduceret: quod etiam fecit Frater Petrus de Arragonia ex Ordine Sancti Francisci, eximiæ virtutis Religiosus, & Regis cognatus. Sed quia ex una parte Sanctus Vir allegabat revelationes, quas credebat se habuisse; ex altera verò illustris Catharina, impulsa justi sinè dubio zeli sui ardore, Clementem cum suis Cardinalibus tanquam Dæmones incarnatos tractabat, iisque alios etiam titulos tribuebat parum dissimiles; sed nihil in animo hujus Principis effecerunt. Cùm enim semper magna cum circumspectione atque prudentia procedere velle assereret, non putavit præferendas esse Judició Episcoporum, Theologorum, & præstantissimorum in suo Regno Virorum, seu revelationes incertas, quas credere nulla esset obligatio, propter fidem unius hominis, qui se illas habuisse affirmabat, sive opiniones unius Religiosæ; quæ licèt Sancta existimari potuerit, antequàm canonizaretur, scripsit tamen ad Regem stylô aliqnantùm asperô, ad movendum Principem adeò jam præoccupatum. Verum est, quòd non omnes actiones Sanctorum sint effectus & indicia sanctitatis, prout existimant illi, qui eorum vitas scribentes gesta ipsorum omnia tanquam mirabilia deprædicare conantur; sed neque à vera Sanctitatis nota, rejicienda sunt opera, quæ non nisi universale bonum Ecclesiæ ex instinctu DEI geruntur; prout in S. Catharinæ apparebat epistolis & adhortationibus, quæ schismatis exstirpationem, & unionem Ecclesiæ unicè respiciebant. Nec malè Sanctus Vincentius Ferrerius inter alios magnos Sanctos, qui contrariæ parti adhæserunt, cavebat ab hujusmodi agendi ratione, tractandi tanquam schismaticos illos, qui in contraria fuerunt obedientia, cum quibus magna cum charitate communicabat, prout in nonnullis ejus litteris est videre: quia iste Vir Dei, tantopere illuminatus, prout semper fuit, sciebat optimè, posse utrinque in bona fide subsistere, priusquàm Ecclesia Controversiam decideret. Tali cum prudentia processit Spondanus Episcopus Apaniensis, & Bosquetus Episcopus Monspeliensis, ambo Viri eruditissimi, summè Catholici, & Sanctæ Sedi conjunctissimi, atque etiam Paulus Armilius licèt Italus; nec tanquam schismaticos aversabantur eos, qui unam vel alteram sequebantur obedientiam.

S. Cath. Senen. Ep. 56.

Ep. Fr. Petr. de Arrag. ad Reg. Gall. M. S. Vatic. Rayn. n. 48. Ep. S. Cathar.

Ep. S. Vincent. Ferrer. 17. Decemb. 1403.

Et ista quidem scriptor Gallicanus depromit sensa de S. Catharina Senensi, cujus spiritum in suspicionem vocat; & suspectas reddere nititur nonnullas sanctæ hujus epistolas, quatenus in favorem Urbani potentiùs & animosiùs exaratæ videntur, quàm politicus quorundam, Regibus adulari solitorum genius probare possit. Exstant profectò Sanctorum Bernardi & Petri Damiani, contra Anacletum & Cadaloum Pseudo-Pontifices, eorúmque fautores, quantumvis sublimes, invectivæ acerrimæ; dum Patres isti, aliàs toti melliflui zelum induunt Phineez, & pro vero Christi Vicario depugnantes, omnem humanæ Majestatis celsitudinem conculcant. Quòd si sancta in suis epistolis *Antipapam, & Anticardinales execratur ut dæmones*; id sinè injuria facit: tales enim erant, qui contra suam ipsorum jurantes conscientiam, Christianos in funestum schisma traxerunt: pejerarunt autem, si vera juravit S. Catharina Vastanensis, filia S. Brigittæ,

Papebroch. Propyl. p. 2. pag. 102.

tunc

Annus 1379.

tunc Romæ præsens, cùm Urbanus eligeretur; quæ de plena illius electionis libertate, ex ipsorummet Cardinalium postea se retractantium ore, deposuit publicô instrumentô, suáque signavit manu: quod instrumentum legi potest apud Odoricum Raynaldum.

Odor. Raynal. ad ann. 1379.

Bosquet ex M.S. Regia Biblioth ap. cit. Papebroch.

Accedit non leve pondus ad rem præsentem à B. Ursulina Parmensi, de qua, Coævus ferme auctor anonymus in ejus vita, postquam retulisset, quanta passa esset in palatio Avenionensi Ursulina, ausa Clementem convenire iteratò super abdicatione facienda, adeò ut penè ipsum & plures ejus Pseudo-Cardinales inflecteret; suam ità prosequitur historiam: Interim dum tot, tantísque modis in ipsam Virginem desævirent, memoratus Antipapa, de B. Ursulina percontabatur: cúmque intellexisset, jam pridem fatuam (sic Beatam illam compellabant, familiares Clementis) abijsse, idque Ursulinæ relatum fuisset, mox literas Apostolicas, divinô asservatas consiliô, Antipapæ miserat, quas Româ à summo Pontifice & Cardinalibus deferebat. Tunc enim verò Antipapa Ursulinam non discessisse, cum admiratione cognovit, & Literis Apostolicis perlectis, magna perturbati & anxij animi inter suspiria cogitabundus edebat indicia. Paucis verò interjectis diebus, Antipapa Clemens, manus abluens, ut ad mensam discumberet, repentina morte præoccupatus miserabiliter vitam finivit; quod ipsum B. Ursulina ei prædixerat, videlicet, ante Virginis Avenione discessum, Divinam experturum esse ultionem. Atque utinam non fuerit etiam impletum illud, quod Clementi, finiens in primo congressu prolixum sesquihoræ sermonem dicebat; noveris, quòd, si ea, quæ tibi exposui pro parte Domini nostri JEsu Christi, exequi tardaveris, sedes tua in inferno parem locum cum ipso Lucifero habitura sit.

Annus 1378.

Est porrò lectu admirabile, quomodo puella tunc annum ætatis duntaxat decimum nonum ingressa, soliúsque DEI Magisterio jam ab infantia, usa, ab audiendis verò Prædicantium sermonibus sacris, abstinere divinitùs jussa, nè homines existimarent, ab illis didicisse, quæ per ipsam voluit DEUS revelari, ipsáque dictante conscribi; mirabile inquam lectu est, quomodo talis puella, comitante ex DEI expresso mandato, vetula Matre, itérque in pe[illegible]ni habitu, præeunte B. Joanne Evangelista, Parmâ Avenionem, Avenione Romam, inde iterum Avenionem profecta sit pedes, & utrobique tam potenter functa fuerit, commissa sibi cælitus legatione, ut nullius vultum pertimescens, obstupescere faceret quantumvìs potentes, obstinatissima etiam corda flecteret, & inter infensissimos veritatis hostes, in subtilissimis Theologiæ quæstionibus exercita, ad exprimendum, & ab alijs capiendum, qui in ea loquebatur, spiritum; quin & torturæ admota, & venenô impetita, nec minimùm quidem hæsitaverit, aut priùs pedes Avenione extulerit, quàm reverso Parisijs Petro de Luna, subversum vidisset, quidquid ad Ecclesiæ unionem constituendum fuerat cum Pseudo-Cardinalibus operata: DEO per mulierem sic confundente schismaticorum superbam contumaciam; ut tamen dimiserit eos in manu consilij ipsorum, ad majorem eorundem condemnationem, ad Gallicani Regni, in quo perniciosissimum schisma potissimùm erat continuandum, extremam penè desolationem, procerum præcipuorum fœdissimas cædes, duorum Delphinorum continuata veneno funera, tertiíque Patri rebellantis arma, omnia interim impunè occupantibus Anglis, & florentissimum Regnum depopulantibus.

Vixit porrò Ursulina usque ad annum

Annus 1378. annum 1410. quæ autem ad schisma extinguendum gessit, ea cùm illusioni aut cooperationi diabolicæ attribui non possint, virtuti Divinæ necessariò sunt adscribenda; nec porrò ignorari posse videtur, quæ pars Catholica, vel quæ Schismatica fuerit, nisi quispiam velit, totam vitæ illius historiam habere de fictione aut mendacio suspectam.

Interea duo Pontifices instituendo contra se invicem Processus, non desinebant reciprocè in se vibrare fulmina anathematum & maledictiones: ex quo horrenda scandala & terribiles in Christianitate oriebantur perturbationes. Sed cùm parùm hujusmodi sua curarent fulmina, ad alia devenêre arma, quæ majora mala, & cruentos atque funestos producebant effectus. Copiæ Britannicæ & Vasconicæ sub Tribuno Sylvestro de Budes, ac Bernardo de Sale, quibus accessit Comes de Montjoye, Nepos Clementis Papæ, cum milite in Sabaudia collecto, usque ad Tyberim omnia devastantes pervenerunt. Romani, qui post declarationem Cardinalium contra Urbanum, Castrum Sancti Angeli obsidebant, à quo grandia patiebantur incommoda, cum explicatis vexillis obviam huic exercitui ad impediendum transitum exiverunt. Sed quia sinè militari ordine, sinè experientia, sinè disciplina, & sinè alio, præter stolidam & cæcam suam præsumptionem, Ductore procedebant, nè quidem aspectum & accessum ferre poterant, militum veteranorum armatorum, qui transitu penetrato, Romanos aggrediebantur, & ferme octingentis trucidatis, reliquos in fugam verterunt, fugitivos prosequebantur, gladiò sternebant, Romam promiscuè intrârunt, & postquam præsidium Castri S. Angeli auxissent, & suburbium Sancti Petri fossis munivissent, foras ad copias Clementis, quæ in Campania Italiæ, omnia, quæ Urbano parebant, depopulabantur, processerunt: ità ut Romani in extremas reducti fuerint angustias. Nam ex una parte Britones, agrum Romanum Neapolim versùs, trans Tyberim vastabant, ex altera verò Joannes & Rinaldus fratres Cardinalis Ursini, & Comes Jordanus eorum cognatus, cum notabili agmine, omnia pariter cis Tyberim destruebant, & usque ad portas Romanas auferebant; dum simul Præsidium Castri Sancti Angeli ruinas Urbi, & innumeras ærumnas Romanis, crebris excursionibus & furiosis desolationibus inferebat.

Niem. l. 1. c. 3. Collen. Hist. Neap. l. 5. *Annus 1378. Niem. c. 19. Ciacon. Ep. Urb. 6. Froissar. Argent.*

Dicitur etiam, quòd Sylvester de Budes, illos ferme in desperationem conjecerit, actione profectò audacissima. Separans enim se ab Exercitu Clementino; cum selectis suis equitibus Britonibus, viris intrepidis, & ad omnia aggredienda resolutissimis, & pericula contemnentibus, discrimen tentavit Romam intrandi per portam Sancti Joannis Lateranensis, malè custoditam; eam pro reditu suo occupavit, & rectà in Capitolium incurrit, resciens illic Branderesios & præcipuos Romanos esse congregatos; Perveniens ad forum, sub Capitolio situm, dum plane illi Domini è suo exibant Consilio, & in societate numerosâ deambularent; iste cum gladio in manu, in multitudinem illam inermem irruit, quem Britones sequebantur, qui à dextris & sinistris secabant, prosternebant, pedibus equorum proterebant, quid quid salvare se non poterat in horrenda illa confusione hominum; qui se ipsos in fuga impediebant; & hi super alios ruebant; & plusquàm ducentos in loco illo trucidarunt; inter quos erant septem Branderesij, tandem nocte ingruente recesserunt, quæ Romanis otium non præbuit se recolligendi, ut illos persequerentur in tam horribili conturbatione, & metu, nè à toto Exercitu hostili, si exirent, invaderentur. Sed altero die, ut se contra invasores belluinè vindicarent, tan-

Froissar. 2. Vol. c. 35.

Annus 1378.

tanquam belluæ feroces, in omnes ultramontanos Romæ commorantes se conjecerunt, absque distinctione ætatis, sexûs, & conditionis, etiam absque respectu sacri characteris Prælatorum; hos trucidabant, illos vulnerabant, & post illatas innumeras injurias, eos in ergastula detrudebant, ubi longo tempore languentes in miserijs eos detinebant. Maximè autem suam extremam effundebant rabiem, in pauperes Presbyteros Britones, qui Romæ in magno numero reperiebantur pro beneficijs obtinendis, eósque sinè misericordia occidebant, quamvis Britannia Urbanum Pontificem agnoverit, quia Dux Joannes de Monfort, qui Angliæ uniebatur, etiam pro Urbano stabat, in cujus favorem Angli se declarârunt.

Hic Pontifex intereà brevi se in bono statu positum vidit, & ad sua restauranda negotia animum admovit, ope boni Exercitûs, quem solertissimè conscripsit, quàm primùm intellexit, Cardinales contra se apertè procedere. Componebatur ejus militia ex copijs ab Imperatore submissis, & in Lombardia conscriptis, ex veteranis Legionibus Ductore famoso Anglo aut Vascone Joanne Aucuto, qui post pacem Britannicam Alpes transijt ad servitia Marchionis Monferratensis cum cohortibus plerisque sinè hastis, quas *serò venientes* appellabant. Annis circiter sedecim tam præclara gessit in servitijs Pontificum aliorúmque Principum, prout sua commoda postulabant, ut ipsi etiam Itali agnoverint, se ab illo artem militandi, quæ in Italia ferme jam exoleverat, condidicisse. Ducebat circiter quatuor millia hominum collectorum; sed quos bene instruxit & armavit; cúmque semper illum sectaretur, qui suam sortem redderet meliorem; Urbanus, qui pro sui conservatione nullis parcebat sumptibus, Aucutum ità sibi obnoxium reddidit, ut se cum exercitu Papali conjunxerit, quem Comes Albericus de Balbiano gubernabat, & intrà tempus breve, copias Italicas armis & disciplinâ adeò bene instruxit, secundùm artem, quam ab Aucuto didicerat; ut tandem Italiam ab oppressione Exterorum, suam fortunam quærentium, gloriosè liberaverit, eósque sensim ultra Alpes ejecerit.

Puissart. Blondin. Platin. Boninse. Sabellic. Walsing. in Rich. 2.

Urbanus tantas vires se jam habere videns, Romam cum toto Exercitu redijt, & primò suburbium Sancti Petri occupavit, facilè profligatis paucis Britonibus, qui se in eo muniverant, atque in Castrum Sancti Angeli receperunt; urgebátque potenter obsidionem illius Castri ab uno ferme anno inchoatam, illúdque intrà tempus non longum in extremas coëgit angustias. Quapropter Exercitus Clementinus in ejus succursum veniens, obsedit Marinum, parvam Civitatem quatuor leucis Româ Neapolim versûs dissitam; nè à tergo relinqueret locum, qui eis annonam præcludere poterat; vel ut distraheret, & extra Romam prolicerent Urbanistas, metu amittendi stationem adeò sibi necessariam, ex qua inimicus semper usque ad portas Urbis excurrere poterat. Tandem, Comes Albericus de Albiano paucis in oppugnatione Castri Sancti Angeli relictis, cum toto suo Exercitu Româ die vigesimo octavo Aprilis exivit, & sub vesperum in conspectu Marini castra metatus est. Comes de Monjoye, hostem in suis infirmis munimentis, quæ in quibusdam locis facilè superari poterant, expectare nolens, etiam in apertum campum suo cum Exercitu prodijt ad prælium resolutus, ad quod ineundum, nocte durante pars utraque se præparabat, & altero die summô manè ambo Exercitus in acie hoc ordine dispositi comparuerunt.

Proissar. S. Ant. 3. p. tit. 24. Niem. Paul. Coll. Hist. l. 5. Platin. Argentre. l. 6.

Comes Albericus peditatum in duo magna quadrata divisit agmina, equitatu in alis dextra & sinistra collocato, ità ut hæc duo magna agmina veluti duo diversi Exercitus in una stete-

Annus 1378. steterint linea, non facilè perfringenda. Dextrum cornu ipse ducebat; & cùm pro gloria suæ Nationis valde zelaret, sinistrum commisit Galeacio Pepolo, magni apud Italos nominis Ductori. Ex altera parte Comes de Montjoye juxta morem cis Montes usitatum in tres acies, primam, postremam & mediam, suum divisit Exercitum. Britones ipse ducebat in ala dextra, Vascones in sinistra à Bernardo de Sale regebantur, Itali verò & Sabaudi media in acie collocati erant.

Hic primò videre erat, quod hactenùs nunquam in Orbe Terrarum apparuit, Claves nimirum Sancti Petri & Tiaras Pontificias sibi invicem oppositas, &, si fas est dicere sibi invicem minas intentantes in vexillis utriusque hostilis Exercitûs, qui cum profusione sanguinis Christiani conflicturi erant pro throno Regni Spiritualis, quod JEsus Christus non nisi toto suo effuso sanguine in Ecclesia sua stabilivit pro salute omnium hominum, ut pacem tribueret omnibus in Cœlo & in terra. Tantas nimirum vires inordinatæ passiones trahunt ex nostra infirmitate ad præpediendos effectus & intentiones DEI; & in perniciem nostram ordine perverso eas ipsas res convertunt, quas DEUS cum infinita sapientia ad nostram disposuit felicitatem.

Ex utraque parte pugnatum est eo cum ardore & obstinatione, qualem à longo tempore Italia non vidit. Primus ad classicum erupit Comes Albericus: & quia magna, quam ducebat acies, in grandem disposita erat frontem, in modicam aciem mediam & alam sinistram hostium irruit, ubi Bernardus de Sale cum suis Vasconibus pugnabat. Acies in medio infirma resistere diu non valebat: & quamvis Vascones fortissimè decertaverint; quia tamen pauci numerô erant, & à tota militia Alberici invadebantur, qui cæsa jam acie mediâ, reunitis omnibus viribus ad illos simul aggrediendos; tandem illorum penetravit ordines, & fermè omnes partim dilaniavit, partim unà cum Ductore Bernardo de Sale intercepit. Annus 1378.

Interim fortuna duorum Exercituum diversa erat ex parte altera. Nam Britones in ala dextra, cum Comite Montjoye Supremo Belliduce Clementino, tanta cum furia irruerunt in grande agmen Galleacij Pepoli, & toties ad explosiones redibant, ut tandem retrocedere hostem coëgerint, eúmque perfregerint, nihil proficientibus conatibus Pepoli ad sistendos suos milites, qui jam nonnisi retrocedendo, & extra ordines pugnabant: ità ut Ductor Montjoye, qui hostes urgebat fortiùs ad pedem retrahendum, certam se tenere crediderit victoriam: dum ecce Comes Albericus, qui jam ex parte sua vicerat, hanc illi eripuit, & sibi totam asseruit. Cùm enim vidisset populum suum in cornu sinistro adeò malè tractari; neglexit fugitivos, ac in succursum suorum advolans, hostes à tergo aggressus est, & Pepolus eodem tempore suas colligendo atque animando copias, quæ animos visô tantô subsidiô resumpserunt, ad prælium reduxit; stitit eos, qui prosequebantur victoriam, eósque in fronte aggressus est, dum à latere undique, atque à tergo furiosè impeterentur. Atque ità Britones inter duo grandia hostium agmina conclusi, adeò cæsi sunt, ut vix unus fuerit, qui vel occisus vel captus non fuisset. De numero captorum erant Comes Montjoye, cum Bernardo de Sale, & Sylvester de Budes, quem Tribunus Aucutus interceperat, & alij sexaginta primarij Ductores & Tribuni, ultra quinque millia virorum, qui in campo prælij trucidati manserunt. *Walsing. in Rich. 2.*

Victoriosus Albericus eodem die Romam reversus est velut in triumpho, inter maximas Romanorum acclamationes, quem alterum Camillum Romam à Gallis liberantem appellârunt. Pro cumulo publicæ læti-

Annus 1379.

Litt. Encycl. Urb. ap. Odor. Raynal. Raym. Capuc. Vit. S. Cathar. Senens. p. 3. c. 2. Niem. l. 1. c. 20.

lætitiæ eodem die Præsidium Gallicum Castri Sancti Angeli, nullum porrò subsidium sperare valens, & alimonia deficiente, deditionem fecit; Romani verò in excessu lætitiæ abrepti, quòd à gravissimis incommodis, quæ à Castro illo patiebantur, essent liberati, illud fermè totum demoliti sunt; sed post tempus aliquod à Bonifacio IX. successore Urbani denuò instauratum est. Explicari nequit gaudium Romani Pontificis Urbani tam insigni victoria, ex qua utilissimos præstolabatur eventus. Eodem vespere Comitem Balbianum & Galleacium Pepolum, Equites Sanctæ Ecclesiæ creavit, & post paucos dies solemnes DEO gratiarum actiones reddidit in Basilica Sancti Petri; & de Consilio Sanctæ Catharinæ Senensis nudis pedibus in Processione ambulavit ab Ecclesia Sanctæ Mariæ trans Tyberim, ubi durante obsidione Castri Sancti Angeli morabatur.

Paul. Collenut. Hist. Neap. l. 5. Raym. Capuc. Vit. S. Cathar. Senens. S. Anto. loco cit. In Lit. Ep. S. Cathar. Senens. n. 221.

Dicitur etiam, quòd hæc Sancta Senensis exhortata fuerit per literas, Comitem Albericum & alios Belliduces Exercitûs Urbani, ad strenuè agendum in hoc prælio, in quo gloriosam consequi mortem poterant cum palma Martyrij; promiserítque se Moysis exemplô manus ad cœlum elevaturam pro illis, dum pugnaturi essent. Sed cùm Author, qui contentum hujus epistolæ narrat, diē epistolæ datæ notet, diē videlicet 6tum Maji hujus añi millesimi tercentesimi septuagesimi noni; & sequenti pagina dicat, quòd juxta bonos Authores, inter quos, etiam Confessarium sanctæ hujus, prælium illud contigerit die vigesimô nonô Aprilis hujus ejusdem anni; dicere hic liceat, Authorem hunc, parùm examinasse quod scribit, cùm tam notabilem non observaverit parachronismum. Ideò etiam, ingenuè dici posse existimat scriptor Gallicanus, quòd litteræ illæ Sanctæ Catharinæ, quæ sunt horrendis plenæ injurijs contra ordinarium Sanctorum stylum; & quòd insuper dicatur, eas ab illa dictatas fuisse dum in extasi esset; vehementer suspectæ, atque etiam suppositæ esse videantur, tam propter manifestam illam contradictionem, quàm etiam propter exiguam verosimilitudinem, quòd mens applicata fuerit ad litteras dictandas, & quidem litteras plenas contumelijs extasi durante.

Per literas, quas alienato à sensibus anio mo sexto Maji die hoc ann dictavit Odoric. Raynal. n. 24.

Annus 1379.

Sic nimirum Scriptor Gallicanus, literas Sanctæ Catharinæ Senensis, nullo sanè jure in suspicionem trahit, duplici ex capite: unum est, quòd Sancta ista contra ordinarium Sanctorum stylum, severè scripserit, & schismaticos acriter ùt merebantur perstrinxerit: qui stylus inter Sanctos minimè peregrinus erat ùt jam de Sancto Bernardo & Beda supra memoravimus: sanè non solùm ex Prophetarum, verùm etiam Salvatoris Mundi ore, accerrimæ in adversarios veritatis contorquebantur reprehensiones. Alterum Scriptor ille Gallicanus suspicandi fundamentum desumit, quòd unam earum epistolarum allegans Odericus Raynaldus, dicat, *datam* sexto die Maji, quâ tamen promittitur victoria de Clementino exercitu parta, die vigesimo octavo Aprilis, utì apud eundem Odoricum scribit Pandulphus Collenutius. Sed si Raynaldus meruit, ob non animadversam ejusmodi contradictionem, non nihil redargui, haud meruit, in dubium vocari tota epistola, propter *datam* erroneè descriptam, dum oscitanti Librario nomen *Maji* obrepsit locò *Martij*. Quanquam nè quidem sub hac correctione certa satis redditur data: nec enim (ùt scribit Raynaldi successor, & continuator Leander Colloredus) originalibus Sanctæ epistolis, adscriptus dies videtur: quia non ùt nunc, ità & tunc subscribebatur semper familiaribus epistolis, non tantùm Virginum, sed nec Episcoporum, dies aut mensis, & plurimi

Papebroch. citat.

Papebroch. cit.

Annus 1379. rimi id negligebant. Inveniuntur quoque dictarum Epistolarum Exemplaria sanè optima absque hujusmodi notis, quæ omnia videntur ab eo, qui argumenta eisdem præposuit, ex conjecturis potiùs, quàm originalis scriptionis fide adjuncta. Quòd si Sancta in suis epistolis *Antipapam* Clementem, & *Anti-Cardinales* ejus, execratur *utì dæmones*, id non immeritò, sed jure optimo facit, ùt qui perjuri, Ecclesiam DEI & multos Christianos funesta sua divisione in abominandum schisma pertraxerunt.

Opponere hìc nituntur aliqui, Petri Luxenburgij, creati à Clemente Cardinalis, plurimis post obitum ejus clarissimísque miraculis notificatam Sanctitatem: unde auctor vitæ Clementis apud Bosquetum inquit: *Fuit status dicti Clementis justior & solidior multimodè reputatus, perquam plures æstimantes & certò tenentes, quòd ipse, qui jam Spiritu DEI plenus fuisse, & Sanctorum Cœlestium (inquantum salus sua in eis tangebatur) notitiam sufficientem habuisse creditur, sibi non adhæsisset, nec promotiones suas ab illo recepisset, nisi ipsum scivisset justum habere titulum in Papatu.* Sed si hoc ijs præsumere licuit, qui bona fide Clementem sequebantur, alij è contra, de causa meliùs informati, credere potuerunt atque etiàm debuerunt; annorum septendecim adolescentulum, mox ab illa qualicunque promotione lecto ægritudinis postremæ affixum, morbóque semestri abundè expurgatum, priusquam Schisma quid esset, nosse humanitas posset, suæ ætatis octodecim annis nondum completis, raptum esse ex hoc mundo, *nè* (ùt loquitur scriptura) malitia Collegarum præcipuorum, verè ac formaliter schismaticorum, *mutaret intellectum ejus; aut nè fictio deciperet animam illius*, quæ quia *placita erat DEO, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatis.*

Papeb. cit. pag. 103.

Sap. 4.

Quæ autem ex Papebrochio referimus, ea ille ex Manuscripto authentico desumpsit; quod perquàm conformè est ipsius schismatis Actis, quæ allegat Odoricus Raynaldus in Annalibus, tanquam in Vaticano servatis, atque in quatuor plurésve Tomos digestis. Nolumus autem cum alijs comparationem facere, multò minùs, Judicem agere illius controversiæ, cujus decisionem nec tentare quidem voluit Ecclesia, congregata in Synodo, primùm Pisana posteà etiam Constantiensi. Sed aliam, commodiorémque viam unionis reducendæ ingressa, finem optatum tandem est consecuta. Nihil tamen in alterutram partem de juribus litigantium duorum, aut etiam plurium Pontificum decidendo, (quia id ad finem suum videbat minus expedire) non sustulit pijs historicæ veritatis indagatoribus, libertatem apud se statuendi, quamnam in partem verisimilitudo major inclinet: & Ecclesia Romana, cui boni Fideles libentiùs & securiùs adhærent, Urbani partes constanter amplexa, Clementem ejúsque successorem Benedictum pro Antipapis habuit semper. In hujus ergo magis communi apud Catholicos sensu, non autem privato nostro, de eisdem ùt Antipapis agimus & interdum in Historia præsenti loquimur, libertate alijs aliter sentiendi statuendíque relicta. Accedit & illud, quòd Urbanus VI. ejúsque successores Romani Pontifices omnes in Catalogo verorum Pontificum recenseantur, & ab Ecclesia Catholica pro talibus habeantur; inter quos nunquam locum habuerunt, aut habere potuerunt, duo illi, nempe Clemens VII. & Benedictus XII. Annus 1379.

Quidquid hac de re sit; certum est, quòd hæc Victoria magnopere partes Clementis conturbaverit, qui jam exutus viribus, nec Fundis tutus, rogabat Reginam Neapolitanam, pro mittendis sibi bonis custodijs, à quibus Neapolim deduceretur, ubi cum omni honore atque magnificentia exceptus est à Regina;

Colenut Diar. M. S. Hest. Pignat. ap. Raynald.

Annus 1379. na, quæ illi, extra Urbem occurrit cum Principe Bunsuicensi marito suo, & omnibus Regni Dynastis: Eique publicè in suo Palatio officia submissionis præstitit, quæ Principes Christiani testari solent JESU Christi Vicario in terris. Sed pompa hæc divina ubique ultione, brevi turbata fuit, horribili tumultu in tota Urbe suscitato, ubi omnes arma contra Reginam pro Urbano arripuêre. Nam sive populus, qui de exaltatione sui Concivis Neapolitani lætabatur, irritatus fuerit, quòd honore isto privari deberet Neapolis, Gallô substitutô; sive Urbanum timuerit, qui jam viribus prævalebat, & anathematum fulmina intorquebat contra omnes adhærentes Reginæ, quam Regno privavit; nè cum suo Exercitu victorioso Neapolim aggrederetur: certum est, quòd aperta fuerint in Urbe illa contra Reginam murmura, & maledictiones in Clementem, quem tanquam Antipapam omnes jure aversabantur, eo ipso tempore, quô eum tota Curia ùt verum Sancti Petri successorem in Palatio adorabat.

Hâc eâdem ceremoniâ durante, quidam opifex, qui in turbis accurrentium ad spectaculum, inter primos adfuerat, & detestabatur cum cæteris ea quæ fiebant, clamare cœpit quantùm potuit, quòd ad bestiam adorandam inducerentur homines, agnoscendo intrusum & schismaticum pro Pontifice; quòd dum Vir spectabilis conditionis audiens vicinus, tolerare non posset, tantum in faciem ictum illi pugnô inflixit, ut impacto pollice oculum ei excusserit. Tum enim verò nepos percussi, homo juvenis igne plenus, & vindictam spirans de tanta injuria, talem excitavit in populo rumorem, ad seditionem jam propenso ex aversione à Clemente, ut omnes ubique ad arma cucurrerint. Præcipuas Urbis occupârunt stationes, sepimenta exstruebant, usque ad ipsum Reginæ Palatium, invadebant custodias, quæ recedere cogebantur; omnes denique, paucis exceptis, occupabant stationes. Annus 1379. Atque ità hic Pseudo-Pontifex & Regina, tanta insurrectione conterriti, terribilem hanc tempestatem vitare non poterant, nisi salvando se; prout fecerunt, ad castrum ovorum; *Ant. Vit. Clem. Summont. l. 2.* ubi tamen etiam obsidebantur. Clemens proinde videns, nullam sibi superesse in Italia securitatem, ubi Romanus Pontifex prævalebat; ipse verò post cladem sui Exercitûs, summè debilitatus, præsertim Neapolitana seditione accedente; in Galliam se recipere statuit, & Avenionem cum sua Curia migrare, ubi tam longo tempore Pontifices residebant. Collatis itaque cum Regina consilijs, quæ illum cum dexteritate periculo eripere studebat, Triremes hujus Principissæ conscendit cum suis Cardinalibus, duobus exceptis, nempe Cardinali Sanctæ Praxedis & Cardinali Sancti Sixti, quos in Italia reliquerat, ad negotia sua curanda, & ad conservandos illos, qui ei adhuc adhærebant; ac demum post molestam navigationem die decimo Junij ad Portum Massiliæ appulit: inde, honoribus, *Auth. Vit. Clemen. Collenut. De Puy.* ex mandato Comitissæ Provinciæ receptis, in Urbem Pontificiam, Avenionem pervênit, quæ illum cum magnificentia & pari lætitia, quòd iterum sedes fieret summorum Pontificum, suscepit.

Regina interim dum urgebatur à *M. S. Vatic. de Schism. Tom. 2. ap. Raynald. Encycl. Urb. Ciacon.* Rebellibus, qui protestabantur, se arma non deposituros, nisi obedientia Urbano Pontifici exhiberetur; pœnitudinem ostendebat, quòd in partes Clementis transiverit, promisitque solemniter populo, se ad obedientiam Urbani redituram, quàm primùm pro sua securitate pacem ab illo, quam petebat, obtinuerit. Re ipsa ad eum Comites de Nola, & à Sancto Severino, cum Præfecto Rei Maritimæ Neapolitanæ ablegavit; qui perquàm officiosè accepti fuerunt ab Urbano, magna ex hoc Tractatu pacis, & ex tam facili Regni hujus reductione com-

Annus 1379. commoda speranti, in quo prosapiam suam stabilire, vehementissimè cupiebat. Sed quia solertissima Regina negotium hoc non alio fine tractabat, quàm ut suspensum teneret Urbanum, & Neapolitanos moraretur, usquedum Princeps Otho Maritus, copias Germanicas, quæ in vicinia Neapolis degebant, colligeret; ideóque hôc factô, mox Legatos suos Româ infectô negotiô revocavit, & post paucos dies Princeps cum veteranis Germanis Neapolim intravit, Rebelles obruit, stationes illorum domuit, & postquàm in pluribus velitationibus magìs obstinatos pervicacis plebis cæcidisset, reliquos omnes ad submittendum se Reginæ mandatis, coëgit; adeò ut etiam passi fuerint demolitionem Palatij, Archi-Episcopi ab Urbano nominati, quem populus initiô tumultûs in despectum Reginæ ibi stabilivit. Adeò parum in motibus populi est confidendum, qui ab uno extremo facilè migrat in alterum, prout diversæ passiones, quibus agitatur, eum impellunt, ità ut nihil magìs securũ vel constãs ab eo quàm levitas & incõstantia possit expectari.

Hoc ipsum Romæ Urbanus experiri debuit, eodem ferme tempore, quô Neapoli Regina infestabatur. Cùm enim in prosperitate rerum suarum, ex elato & severo semper operaretur ingenio, quod non arridebat Romanis; & aliunde copiæ Principis Othonis, post sedatum Neapoli tumultum, magnas usque ad ipsorum portas causabant strages; contra ipsum insurrexerunt Pontificem, quem suarum calamitatum authorem credebant, & cujus copiæ, defectu stipendiorum, post victoriam, vexilla deserebant, imò tentabant venenô illum tollere; quod terribile attentatum, cùm non successisset, armati Palatium cinxerunt. Sed Pontifex, minimè territus, illicò statuit hac occasione Bonifacium VIII. imitari, dum Anagniæ à Columnensibus invasus, cum insignibus suæ dignitatis mori voluit.

Cobel. in Cosmod. ær. 6. c. 78.


Proinde ornamentis Pontificialibus indutus; thronum conscendit, portas omnes aperiri jussit, & ad furiosos invasores, qui extractis gladijs armati turmatim intrabant, conversus, brevissimè illos repressit, & aliud nihil agendo, solùm in tono majestate pleno, dixit, quod JEsus Christus ad Judæos eum intercepturos: *Quem quæritis?* Quod dictum, adeò illos attonitos reddidit, & tantum terrorem animis incussit, ut oculis demissis, quasi splendorem humano majorem tam sublimis Majestatis ferre non valerent, cum pudore & horrore sui attentati recesserint. Et post breve tempus, interpositione præcipuè Sanctæ Catharinæ Senensis, quæ hâc occasione potenter apud DEUM suis precibus, & rationibus apud Romanos operabatur; populus tam bene ad sua rediit officia, ut eadem arma, quæ contra Urbanum arripuerat, contra copias Reginæ, in illius defensionem converterit. Annus 1379.

Rayn. Capuc. Vit. S. Cathar. Sen. p. 3. S. Antonin. 3. p. tit. 24.

Tum Pontifex resumpta, more suo, animi fortitudine, dum negotia in meliore statu posita videbat, iterum adversùs Clementem detonuit, & Bellum Sacrum indixit, concessis indulgentijs illis omnibus, qui contra illius adhærentes essent: idem Clemens, ut par pari redderet, instituit. Sic duo isti Pontifices authoritate suâ abutentes innumerabilium causa fuêre malorum, & horribilium perturbationum, quæ in tota ferme Christianitate evenerunt, dum prætextu parendi Bullis Pontificum, se invicem tanquam Schismaticos & hæreticos, in diversis tractabant obedientijs; & ab ipso schismatis Principio, nonnisì scandalosi & cruenti visebantur effectus, ex hac funesta divisione; quæ tam iniquè populos contra se ipsos armabat, quamvis omnes eodem vinculo Religionis & obedientiæ uniti fuerint, quam Sanctæ Sedi bona fide profitebantur in persona illius, quem verum credebant Pontificem. Hæc fuêre privatorum bella, dum Joan-

Apud Odor. Raynal. hoc anno & seq.

Annus 1379. Joanna Regina, contra aliud bellum sibi imminens magnum faciebat apparatum. Hæc enim Principissa, Neapoli secura, ubi Princeps Maritus viribus prævalebat, videns, quòd Urbanus metu Romanorum solutus, potentem contra se excitaret inimicum, cui Regnum donaverat, ut bellum Reginæ inferret; celeriter in Provinciam perrexit, ad procuranda, quæ sperabat, auxilia. Et postquàm cum Clemente existimato Pontifice Avenione de medijs, ad machinationes inimicorum evertendas contulisset, in eisdem suis triremibus, cum suis Provincialibus collectis, Neapolim reversa est; ubi suadente Clemente, anno sequente, celebrem illam instituit adoptionem Ludovici Ducis Andegavensis, de qua deinceps aliqua dicemus.



HISTORIA
DE MAGNO
SCHISMATE OCCIDENTIS,
IN COMPENDIUM REDUCTA.

LIBER II.

Annus 1380. *Auth. Vit. Clement.* CUm primùm Pontifex Urbanus intellexisset, Joannam Reginam se pro Pontifice Clemente declarâsse, & contra illam anathema fulminasset, statuit investituram Regni Neapolitani, tanquam Feudi ad Sanctam Sedem devoluti, conferre cuipiam potenti Principi, qui hanc Reginam ex Regno pelleret. Et cùm præter odium & vindictam, quibus ad hanc resolutionem ferebatur, etiam ambitio atque inordinatum, familiam suam altiùs provehendi desiderium, eum impelleret; existimabat fore, ut Princeps, quem ad hoc electurus erat, facilis esset futurus, pro investitura tam pulchri Regni, ad præstanda ea Francisco Prignano Nepoti suo, quæ à Joanna Regina obtinere non poterat. Eam proinde obtulit Carolo Juveni Duci Dyrrachij, Principi de sanguine Regis Ludovici, Regis Hungariæ, & proximo post illum hæredi Joannæ Reginæ, æqualiter à Proavo Carolo II. Rege Neapolitano descendentem. Carolus Dyrrachij primò difficilem se ostendebat ad consentiendum in rem adeò sibi utilem, quam ei Urbanus Pontifex & Rex Hungariæ proponebant. Regina Joanna illum ab infantia summa cum sollicitudine, & affectûs teneritudine, quasi proprium filium educaverat, eúmque ad Coronam Neapolitanam, si ipsa sinè prole, cujus exigua spes erat, ex hac vita decederet, destinabat: quem in finem Principissam Margaritam Nepotem ex Sorore sua Maria illi desponsavit: ità ut enormi cum ingratitu-

Annus 1380. dine inimicùm se declaraverit hujus Reginæ, cui omni jure, divino & humano, velut Matri obstrictus erat; præterquàm quòd sicut successio in Regno, quod ei offerebatur, fallere illum non poterat; ità Regina eô privare illum poterat, in pœnam ingratitudinis; cum belli contra illam gerendi eventus fuerit incertus. Hæc & alia plura illum à proposito poterant avertere. Sed quia improbitas animi, perfidia, & extrema ambitio, cum spe boni ferme præsentis quantumlibet incerti, prævalebant contra certam possessionem & legitimam post obitum suæ Benefactricis successionem decrevit; cæcæ passioni suæ sacrificare conscientiam, honorem, uxorem suam & proles, quæ apud Reginam degebant, & ipsam fortunam securam, periculo exponere.

Regina, de hoc fœdere inter Urbanum, Regem Hungariæ & Ducem Carolum edocta Clementem consuluit, de medijs tantam à se tempestatem avertendi. Clemens, cujus negotia pariter concernebantur, & potenti egebat Principe ad conservationem sui in possessione tam nobilis partis Italiæ, facilè persuasit Reginæ, ut Ludovicum Ducem Andegavensem, adoptaret, à quo certam & potentem habitura esset defensionem & protectionem, contra abominandam sui Patruelis ingratitudinem. Quapropter dum Carolus bellum pararet, & ad illud accelerandum incitaretur ab Urbano, qui anathemata sua contra Reginam renovavit, eàmque Regnô privavit, ac subditos à juramento fidelitatis absolvit, die vigesimo nono Junij Neapoli in arce Ovorum, Actum signavit authenticum adoptionis & filiationis Legalis pro Ludovico Duce Andegavensi, ad successionem cum sua posteritate in Regno Neapolitano, seu Siciliæ, utì tunc appellabatur, & in Comitatibus Provinciæ, Forcalquerij, & Pedemontij, quæ omnia Clemens Pontifex solennissimè confirmavit.

Annus 1308. Intereà Carolus V. Rex Galliæ pijssimè obijt die decimo sexto Septembris, anno ætatis quadragesimo secundo. Hæc mors diu detinuit Parisijs Ducem Andegavensem defuncti Regis fratrem, qui à Rege Administrator, seu Regens Regni constitutus fuerat. Et quia tam sublimi dignitate ad suam pro bello gerendo utilitatem, pro Regina Neapolitana, uti volebat, ut potentem congregaret Exercitum; ideo ante omnia defuncti Regis occupavit Thesaurum, qui in auro fuso, gemis pretiosis, suppelectili & argento, septemdecim milliones librarum Gallicarum auri conficiebat, quæ hodiernis scutis, seu regalibus æquivalebant. Res hæc magnas peperit in Gallia, maximè Parisijs & Rothomagi perturbationes, atque periculosas seditiones, propter subsidia, quæ Carolus VI. abolevit, & rursus exigere debuit, ut ærarium, quod Dux Regens exhausit, denuò impleret. Nec defuerunt motus inter Ecclesiasticos, præcipuè in Universitate Parisiensi, qui vehementer querulabantur contra Pontificem Clementem authoritate Regentis fultum, qui cum illo, suæ magis utilitatis, quàm amicitiæ causâ unanimi consensu agebat. Cùm enim ex infelicitate inevitabili in tali Schismate, Pontifices obligati essent, ut pro conservanda suarum partium obedientia, turpiter dependerent à Principibus, & Curiæ Magnatibus, nè ab illis desererentur; Clemens, qui, ut suos triginta sex Cardinales, & illos, qui sibi magis apud Regem prodesse poterant, satiaret; illis quodammodo in spolium reliquit Ecclesiam Gallicanam. Nam omnia ferme Beneficia eis conferebat, non solùm vacantia, verùm etiam in antecessum, viventibus legitimis Possessoribus, viâ reservationis & gratiæ exspectativæ, quæ illo tempore in usu erant cum ingenti detrimento Ecclesiæ; atque ità Viri perquàm idonei, quorum negligebatur meritum,

De Tillet. Dupleix.

Joann. Juven. Gaguin. l. 9. Bellefort. l. 5. Spondan.

Annus 1480. tum, absque beneficijs manebant. Tantæ præterea ex Beneficijs trahebantur, nomine Decimarum, & restantiarum exactiones, quas Camera Apostolica prætendebat, summæ pecuniariæ, ut prætextu Decimarum & aliorum nominum, plusquàm ipsum Beneficium valebat, exigeretur.

Inde factum est, quòd Scholares & Moderatores Universitatum, videntes omnem sibi spem tolli Beneficij, viâ meriti & scientiæ obtinendi, & quòd Possessores Beneficiorum exorbitantibus illis opprimerentur exactionibus, indies turmatim Parisijs discedebant, alibi, apud Exteros, cum probro Galliæ, quæsituri justitiam, & præmium suis meritis congruum, quòd in Patria non ampliùs poterant invenire. Idcircò, Universitas, metuens, nè brevi deserta maneret ab omnibus, Joannem Rousse celebrem Doctorem & Professorem Theologiæ deputavit, ad hæc Regi proponenda, ut sua Majestas, tantis malis, remedium afferre dignaretur, pro quo supplicabatur. Sed Regens, qui partem habere dicebatur in hoc spolio, pro bello Neapolitano, cui etiam Clemens Decimas omnium bonorum Ecclesiasticorum non semel donaverat; adeò irritatus est, ut sequenti nocte comprehendi, & in carcerem detrudi jusserit pauperem illum Doctorem, qui nonnisi maxima cum difficultate liberari poterat, postquàm promittere debuit, se obedientiam Pontifici Clementi semper præstiturum. Sed vix è suo dimissus ergastulo, celerrimè Romam ad Urbanum Pontificem confugit, qui sperans hanc sibi posse conciliari hâc occasione Universitatem, pulcherrimam & prolixam ei scripsit epistolam, quam Rector Universitatis publicè in Conventu pleno legi curavit.

Hâc certè occasione ansam habuit Regens malè tractandi Rectorem. Cùm enim, nullatenus permittatur in Gallia, vel fœdera, vel ullam speciem societatis inire, aut in communi scribere ad quemcunque Principem extraneum, sinè scitu & consensu Regis, minùs etiam liceat litteras ab illis recipere, & in publico legere consessu, priùs quàm clausæ ad Regem, qui solus eas aperire potest, & de illis postea disponere, deferantur. Regens igitur captata hujusmodi occasione, privatam sumendi vindictam, commissum contra statum crimen puniendo, fortiter in Rectorem prorupit, quòd publicè legi curaverit litteras extraneas, ab eo receptas, qui in Gallia pro Intruso in Pontificatum, & pro inimico habebatur. Hoc ità conterruit Rectorem, etiam vitæ suæ metuentem, ut quàm ocyssimè Romam, sicuti Doctor Rousse, fugerit, quem plures alij secuti sunt, qui pariter metuebant, nè tanquam contra statum publicum delinquentes, punirentur. Hæc procedendi ratio non leviter afflixit Clementem Pontificem, qui nolebat Universitatem irritari, in qua multùm confidebat, metuebátque nè suus ex hac discordia proficeret æmulus. Sed suam leniebat displicentiam, quòd Ducem Andegavensem potenter armatum videret, pro Regina Neapolitana contra Urbanum; & multò magis, quòd Regnum Castiliæ in suum favorem solemnem eodem fermè tempore fecerit declarationem, eô, quô dicemus modò. Annus 1380.

Henricus Rex Castiliæ, qui adhuc indifferens manebat, inter duas in Ecclesia obedientias, ex hac vita decessit decimo tertio die Maji, *Marian. l.* anni præcedentis, inter brachia E- *17. c. 2.* piscopi Seguntiæ, cui in mandatis dedit, ut filio suo, duo operosè recommendaret; unum, de colenda confœderatione cum Gallia; alterum, ut habito semper DEO præ oculis, non accedat uni vel alteri Pontifici, antequam exactè examinet, uter duorum pro vero sit habendus Pontifice. Joannes I. Filius ejus & Successor, juxta postremam

Annus 1380.

mam hanc sui Genitoris voluntatem, audire voluit arbitria Prælatorum, Doctorum, & in Regno suo Dominorum, qui Burgis convenerant, ad solemnem novi Regis Coronationem, post funebres defuncto Regi præstitos honores, celebrandam. Ibi communi omnium consessu resolutum est, ut Rodericus Bernardus Consiliarius, Pater Franciscus de Illescas Franciscanus, Regis Confessarius, & Doctor Alvarus Melenda, mitterentur Legati ad duos Pontifices, quos debita cum humanitate rogarent, pro informatione de omnibus, quæ pro sua quisque haberet legitimâ electione probanda, pro copia Processûs Verbalis, quem confecerunt, & pro suis nuntijs mittendis, qui jura ipsorum proferant; cùm Rex nihil desideraret magìs, quàm cognitionem veritatis.

Pars 1. Processus habiti coram Rege Joanne. ex M. S. Bibl. Harlea.

Hi Legati Romam, simul & Avenionem profecti, finem ibidem hujus anni cum magna parte sequentis impenderunt, ad exequendam exactissimè sibi commissa, quæ longo egebant tempore, nè quidquam utile, aut necessarium in tam arduo negotio omitteretur. Ab utroque Pontifice optimè accepti fuerunt, quia unus & alter hoc Regnum in suam allicere cupiebat obedientiam. Communicati fuerunt Legatis, Processus Verbales, quos petebant, de duabus Electionibus; & illos, qui eis interfuerunt, interrogabant: depositiones testium, qui de circumstantijs electionis cognoverant, receperunt. Habere volebant scripta, quæ pro utraque parte edebantur, præsertim Tractatum celebris Jurisconsulti Baldi, & Doctoris Joannis de Lignano pro Urbano, atque eruditi Abbatis à S. Wasto Doctoris Parisiensis, pro Clemente. Datæ sunt illis etiam Litteræ Sanctæ Catharinæ Senensis, quæ anno superiore sanctissimè obijt. Denique de omnibus plenè informati, Patre Ferdinando de Illescas ægroto Neapoli remanente, Rodericus Bernardus tot monumen-

2. Pars Processejusd. apud Spond.

tis provisus, in Castiliam sub finem Septembris rediit cum Nuntiis Pontificijs, nempe pro parte Urbani Francisco de Urbino Episcopo Faentiæ, & Doctore Francisco de Padua, qui se conjungere debebant cum Guttierez Hispano; & pro parte Clementis Episcopo Pisauri, qui se Cardinali ab Arragonia Petro de Luna sociavit, quem Clemens in Castiliam præmiserat Legatum. Rex habitis omnibus documentis, quæ desiderare poterat, ad magnum Consilium convocavit Prælatos, Optimates, Magistratus, Doctores, Capitulorum Deputatos, & præcipuorum in Regno Monasteriorum, cum suis Consiliarijs in Urbem Medinam Campi Diœcesis Salmanticensis, ad grave hôc negotium terminandum.

Annus 1380.

1. Pars Processejusd.

Initium factum est die vigesimô tertiô Novembris hujus anni, à Cardinali Arragoniæ, qui in pulchra oratione præmissa ostendere conabatur nullitatem electionis Bartholomæi Bariensis, utpote coactæ, & valorem Clementinæ. Dominico die, qui erat vigesimus quintus Mensis ejusdem, peroravit Episcopus Faëntinus pro Papa Urbano, & octodecim rationum momentis probare nitebatur, eum legitimè atque canonicè electum fuisse. Die altero & sequentibus, Legatus Rodericus Bernardus suæ Legationis reddidit rationem, & species facti electionis utriusque producta fuit, quæ modô valde diversô in Bullis duorum Pontificum continebatur. Legatus in fine suæ relationis duo magni momenti addebat. Primùm, quòd cùm privatim nomine Regis, Urbano Papæ proposuisset viam Concilij Generalis tanquam opportunissimam, ad decidendam authoritate supremâ hanc Controversiam, & ad Schisma penitus exstinguendum; Urbanus eam renuerit acceptare, dicens, quòd hâc ratione certum jus suum in dubium vocaretur; & experientia notum esset, quòd in Schismate Græcorum

Ibid. fol. 1.

Ibid. fol. 4.

Ibid. fol. 10. 16. 17.

inu-

Annus 1380. inutile fuerit hoc medium; cùm post Concilia pro abolendo schismate celebrata, semper furiosiùs exarserit, & latiùs quàm antecedenter fuerit propagatum. Allegabat etiam ex Historia Tripartita exempla, quibus demonstrare volebat, quòd Concilia in hunc finem nihil prodessent; adeò tunc resolutus erat, ad non submittendum se Concilio. Alterum quod Legatus referebat, notatu dignum, erat. Cùm initiô sui alloquij proposuisset Pontifici, quòd Rex indifferens esse vellet, ùt pleniùs se informare posset de veritate facti & juris, circà istud Schisma, priusquàm se pro alterutra parte declararet; Urbanus, valde conquestus fuerit, asserens, hâc ratione se indebitè suâ possessione spoliari; in fine tandem promiserit, se Nuntios missurum ad informandum Regem; timendum tamen esse, nè hic Princeps fœdere facto cum Rege Galliæ, à via veritatis abstrahatur; quòd jure metuendum erat, ut eventus docuit. Ibid. fol. 18.

Ad hæc sapiens Rodericus Bernardus respondit: *Probe mihi constat, de bona fide & conscientia Regis, Domini mei, quòd semper & inviolabiliter, sit perseveraturus intrà limites confœderationis cum Rege Galliæ, quin propterea unquam recedat à suo debito, & à via veritatis, præsertim in ijs, quæ fidem & Ecclesiæ bonum concernunt. Ex altera tamen parte sum omnino securissimus, quòd Rex Galliæ, in hac schismatis occasione, nihil ex inordinata egerit affectione, sed unicè desideriô cognoscendi, quantùm fieri potuit, veritatem, prout ipse mihi, cum juramento protestatus est Parisijs, dum ibi Legatione fungebar.* Cúmque Urbanus ostenderet desiderium, plura in particulari audiendi; sermonem prosequebatur Legatus: *Missus eò fueram ab Henrico Rege, Domino meo, cum Doctore Petro Fernandez, rogaturus Regem Carolum V. ut, sicut Rex meus, indifferens maneret, usque dum omnes Hispaniæ Reges unanimiter in tanti momenti negotio procedentes, de veritate edocerentur; sapiens ille Rex continuò, & nihil hæsitans, nobis respondit, se jam plenè & adæquatè informatum esse, quantum humanô modô erat possibile; ut proinde in conscientia longiùs differre nequiverit suam declarationem, & verum Pastorem suorum subditorum agnoscere, judiciô omnium in Regno sapientûm. Tandem enim, dicebat nobis, veritas facti hujusmodi haberi nequit, nisi ex testimonijs & probationibus; tam extra Conclave, quàm intrà illud petitis. Quoad exteriora, omnia manifestam ostendunt violentiam: clamores populi, qui protestabatur, trucidandos esse Cardinales, nisi Pontificem Romanum vel Italum eligant: irruptio manu armata in Conclave, perfractis portis, & fugam quærentibus Cardinalibus. Ea, quæ intrà Conclave acta sunt, nemo scire meliùs valet, quàm qui electioni aderant, ipsi nempe Cardinales, qui omnes jurejurando asseverant, quòd nonnisi per vim Archi-Episcopum Barij elegerint, ut vitam servarent morte imminente, quem alioqui nunquam elegissent. Quòd hæ probationes, quæ sibi fortes videbantur, sufficienter demonstraverint veritatem.* Annus 1380.

Ad hæc Urbanus aliud non reposuit, nisi quòd se, Cardinales post inthronisationem agnoverint. Sed Rodericus Vir eximiè doctus, jam responderat Baldo Juris consulto, eadem dicenti, in quibus totum robur Tractatûs ipsius consistebat; quòd nimirùm, si electio fuit coacta, validari non poterat in eo loco, nempe Romæ, ubi facta est coactio. Hac relatione facta, & omnibus monumentis, atque Depositionibus testium Româ & Avenione allatis, & repræsentatis, Rex die sexto Decembris in Aulam Conventûs, plenam omnibus Regni Provinciarum Deputatis, intravit, ubi Altare ad magis augustum & authenticum reddendum hunc actum, erat erectum. Cúmque in throno consedisset, habens à dextris Cardinalem Arragoniæ Petrum de Luna, qui se Pontificis Clementis VII. Legatum dicebat; à sinistris verò Gu-

Annus 1380. Gutierum Gomesium Episcopum Palentiæ, qui se pro Cardinali & Legato Papæ Urbani gerebat; Episcopus Avilæ Missam Pontificalem celebravit; & Decanus Burgorum præclarum sermonem super illum textum: *Ostende, quem elegeris, ex his duobus unum*, pronuntiavit. Ante Communionem Rex ante Altare flexit, & Episcopus Sacrum JESU Christi Corpus tenens, ad eum se graviter convertit. Tum duobus Cardinalibus cum suis Collegis accedentibus, Rex altâ & distinctâ voce legi mandavit juramenti formulam, quô super corpore pretioso Filij DEI, in adoranda Eucharistia præsentis, & super suam æternam salutem jurabant, *se Fide bonâ, & sincerè dicturos Regi ejúsque Commissarijs, etiam non interrogati, quidquid in conscientia scirent, de duobus Pontificibus, sive faverent, sive adversarentur ei, pro quo ipsi agerent; se nullatenus impugnaturos pertinaciter rationes, quæ producentur, ubi eas in conscientia veras & justas existimaverint; & si quidpiam revelandum celaverint, sint causa erroris, in quem Rex prolaberetur, illísque responsio coram DEO incumbat.* Ad quæ omnes responderunt: *Amen.*

Act. 2.

Archi-Episcopi Toletanus & Hispalensis, quinque Episcopi, decem Doctores à Capitulis & Ordinibus Religiosis electi, & illi, quos Rex Commissarios nominavit, pariter postea jurârunt, quòd nimirùm examinatis diligentissimè omnibus monumentis, testimonijs, & momentis rationum partis utriusque edicere velint sincerissimè secundùm conscientiam, Regi soli, opiniones suas, quid ei pro salute sua suorúmque subditorum sit agendum; interea secretum de omnibus servaturi. His peractis duo Cardinales & Collegæ ipsorum, deinde Commissarij, unus post alterum tacta Patena, ad sua revertebantur subsellia; & Archi-Diaconus Ecclesiæ Palentinæ Petrus Fernandez Notarius Apostolicus, præstitô postremô istô juramento, coram Episcopo celebrante, qui erat unus è Commissarijs; ad suum reversus est subsellium, & Missa finita est. Cúmque omnia spatiô dierum aliquot, ad instruendum hunc magnum Processum disposita fuissent, Commissarij jussu Regis die vigesimo octavo Decembris in eo diligentissimè laborare cœperunt. Examinatæ sunt primo Depositiones Legatorum, quas Avenione legaliter collegerunt à decem Cardinalibus, tribus Archi-Episcopis, quatuor Doctoribus Canonum, Inquisitore Arragoniæ & alijs, qui Romæ aderant, dum ibi Archi-Episcopus Barij eligeretur; & omnes uniformiter attestabantur violentiam Sacro Collegio illatam, ad eligendum Pontificem, vel Romanum vel Italum.

Ibid. fol. 21.

Annus 1380.

Ibid. fol. 36.

Postea discutiebantur Depositiones eorundem Legatorum allatæ Româ, à tribus Cardinalibus ab Urbano creatis, tribus Episcopis, uno Branderesio, & septemdecim tam Curiæ Romanæ Officialibus, quàm Canonicis & Civibus Romanis, quorum potior pars, satìs concordabant in testimonijs de violentia. Duo etiam ex his testibus erant, videlicèt Medicus defuncti Cardinalis sancti Petri & alter Cubicularius, qui vehementer suspectam reddebant suis testimonijs declarationem dicti Cardinalis, qui dicebatur paulò antè mortem approbasse Urbani electionem. Tum perpendebantur Depositiones propè quinquaginta testium, qui omnes erant Personæ conspicuæ, Episcopi, Abbates, Canonici, Doctores, & variorum Ordinum Religiosi, qui tempore electionis Urbani Romæ, & postea in Hispania degebant, omnésque super Sacris Evangelijs & Cruce jurârunt, se veritatem dicturos, & secretum inviolabiliter observaturos, usque ad Regiam declarationem. Ex his delecti fuerunt tredecim, qui testimonia sua in scriptis, non interrogati dederunt. Cuncta deinde in octoginta quinque articulos reda-

Ibid. fol. 67.

Ibid. fol. 99. & seq.

Annus 1380. cta fuerunt, quæ Urbanistæ manifestabant de illius electione; & in Fol. 22. 31. &c. centum octo alios, quæ Clementini asserebant: alij testes interrogati sunt de omnibus articulis, quorum dicta in scriptis accepta cum otio examinabantur, & invicem conferebantur.

Hæc omnia spatiô duorum mensium absoluta sunt, nempe à die vigesimo octavo Decembris, usque ad quartum Martij; ubi ad elucidandum magis tam arduum negotium, Rex generalem rursus convocavit Conventum, in quo indixit Cardinali Gautiero Gomez ejúsque Collegis, ut palàm responderent ad articulos à Clementinis de electione Urbani productos; & Cardinali Petro de Luna cum suis Adjunctis ad articulos contrarios de eadem electione. Ità fecerunt sequentibus diebus in præsentia Regis, coram Commissarijs & Consiliarijs, in Capella Regij Palatij, ubi sanctissimum prostabat Sacramentum, ut ex præsentia JESU Christi & Regis, animis ingererentur quædam sensa, timoris, venerationis, & Religionis, quibus à mendacio coram tantis Majestatibus absterrerentur. Tum examinatis adhuc testimonijs, quæ pro libertate electionis Urbani stabant, & ijs, quæ contra illam, asserebant violentiam, hæc & illa inter se, cum omnibus circumstantijs comparando; tandem die vigesimo quarto Aprilis præsentatum est Regi, totius Cœtûs arbitrium: quòd visis omnibus informationibus Româ & Avenione acceptis, auditis Doctorum sententijs, tam in scriptis, quàm viva voce in hac lite prolatis, concludant, Bartholomæum per violentiam omninò notoriam, à Romanis illatam Cardinalibus, electum esse, ità ut dubitari non possit, quin sufficiens fuerit, ad incutiendum præsentis mortis metum, viris etiam fortibus & constantibus. Quòd allegata pro electione illa Urbani, vel manifestè elidantur irrefragabilibus probationibus, vel non contrarientur violentiæ irrogatæ; neque ullum novum jus sic electo acquiri possit, incerta quacunque partis utriusque interpretatione. Atque ità standum esse unicè indubitatæ publicæ violentiæ notitiâ. Quòd proinde Sua Majestas teneatur pro intruso habere illum, qui se Urbanum VI. appellat, & pro vero Pontifice Clementem VII. agnoscere, utpotè liberè atque canonicè electum.

Annus 1381.

Rex igitur omnibus examinatis, de consensu unanimi totius Consilij sui statuit, secundùm hoc arbitrium sibi esse procedendum, & Salmanticam cum omnibus profectus, die Dominico decimo nono Maij in Magna Ecclesia, post Missam Pontificalem celebratam, altâ voce suam legi curavit declarationem, in qua recensitis omnibus, quæ ad veritatem eruendam adhibita fuerunt, DEO gratias agebat, pro illa reperta, & agnita; postmodùm declarabat, Bartholomæum pro intruso & Sanctæ Sedis usurpatore habendum esse, & Clementem VII. pro vero Pontifice agnoscendum; in fine tandem subditis omnibus præcipiebat, Clementi obedientiam Vicario JESU Christi in terris debitam, esse præstandam. Fol. 278.

His de unanimi totius Cœtûs consensu peractis, Cardinalis Gomez ab Urbano creatus, Galerum Cardinalitium in manus Cardinalis Petri de Luna consignavit, qui post aliquod tempus illum ei cum suo Titulo Sanctæ Crucis in Ierusalem jussu Clementis, quem pro vero agnovit Pontifice, restituit. Plures alij Prælati & Beneficiati ab Urbano provisi, exemplô Cardinalis Gomezij, suis Beneficijs renuntiârunt, qui Clementis authoritate postea in omnibus ipsorum dignitatibus & Beneficijs fuêre stabiliti. Atque ità maximum in Hispanijs Regnum obedientiæ Clementis accessit: cætera Regna, exceptâ Lusitaniâ, quæ semper Urbano adhærebat, adhuc indiffe- Auth. Vit. Clemen. ap. Bosquet.

Annus 1381. differentia manserunt, incerta quid agere deberent.

Annus 1382. Dum hæc in Hispania prosperè pro Clemente procederent; alia sors ejus erat in Italia, quæ tota illi contraria, apertè pro inimico ipsius Carolo Dyrrachij se declaravit, cui Urbanus investituram & Coronam Regni Neapolitani contulit; cum ea conditione, ut suo Nepoti Francisco Prignano, multas Civitates, terras & arces, quæ justum conficiebant Principatum, cederet. In hunc finem hic Pontifex rebus tam sacris quàm profanis non pepercit: ut enim Carolo media pro bello gerendo præberet, Civibus Romanis octoginta millibus aureorum vendidit Bona Ecclesiarum & Monasteriorum, Cruces, Calices aureos & argenteos, cum alijs vasis sacris, imaginibus & statuis argenteis, quas pro cudenda moneta liquari curavit. Princeps iste cum potenti Exercitu tam bene provisus, contra Joannam Reginam processit, Neapolim proditione occupavit, & Reginam Benefactricem suam captivam tandem interfici curavit, Principem verò Othonem Brunsuicensem prælio victum, & vulneratum in carcere detinuit; ac totam denique Trinacriam, seu Regnum Neapolitanum & Siciliam, in suam reduxit potestatem. Sed nec proprio Sanguini pepercit, ejus crudelitas, & non solùm sororem uxoris suæ Principissam Mariam, verùm etiam duas juvenes Principissas suas filias, quæ sinistram Reginæ sortem sequebantur, in carcere egestate atque miserijs peremit. Cardinalis Sangri anno superiore Urbani Papæ Legatus, ejusdem ferme cum suo Domino, indolis, imò crudelior, cum Barbarie, planè indignâ non solùm Ecclesiasticô, verùm etiam homine, deteriora fecit. Postquàm enim Cardinales Jacobum de Itre Gallum, & Leonardum Griffoni Salernitanum, Legatos Clementis, omnes Episcopos, Abbates & Beneficiatos, Reginæ fideles detinuisset, Cardinales compulit ad cremandos publicè Galeros Cardinalitios, eósque in carceres detrusit; ubi Cardinalis de Itre Pontifici Clementi renuntiare nolens, miserijs obrutus vitam finivit. Cæteros inhumanissimè cruciari jussit, bonis omnibus spoliavit sine ullo ætatis, conditionis, ac meritorum discrimine, ut suo placeret Urbano, ad quem omnes illi, mansuetudine reduci poterant, & intrà diem unum, triginta duos Archi-Episcopos, Episcopos, Abbates & Priores, omnes Neapolitanos & Carolo devotos creavit, ità ut Neapoli non fuerit Clericus tam exiguus & miserabilis, qui se non vidisset derepente Archi-Episcopum, Episcopum, vel Abbatem, vel alio pingui Beneficio provisum.

Bull. Urb. 1. Jun. Niem. c. 22. — *Auth. Vitæ Clemen.* — *Niem. l. 1. c. 6.*

Ludovicus Dux Andegavensis, à Clemente, ad occupandum Regnum Neapolitanum, & Reginam liberandam, quæ intereà exstincta fuit, stimulatus, cum florenti exercitu sexaginta & ampliùs millium; superatis multis incommodis, in Samnium, Italiæ Provinciam, & Aquilam ejus Metropolim, Reginæ semper fidelem, pervênit: ubi permulti Domini Neapolitani ad eum Regem salutandum comparuerunt, quem titulum intellectâ morte Reginæ Matris adoptantis admisit, & assumpsit, & Rex proclamatus est. Hic Princeps cùm esset maximi animi, & ad vindicandam funestam suæ Benefactricis mortem resolutus, fecialem ad hostem suum misit ad exprobrandam ei horribilem perfidiam & crudelitatem, offerendo illi certamen singulare in conspectu utriusque Exercitûs, quô eum armis compellere volebat, ad profitendum se indignum esse non solùm coronâ, verùm etiam vitâ post tam execrabile parricidium perpetratum.

Mon. Dionys. l. 2. c. 8.

Carolus, bono licèt Exercitu provisus, non desiderabat coronam fortunæ prælij, multò minùs duelli exponere: sed aliâ viâ ignavissimâ & improbissimâ contra Ludovicum

Annus 1382. vicinis agere voluit. Tenebat ad suum latus Magum, quem se Romæ vidisse asserit scriptor illius temporis, paulò antequàm ad servitia Caroli venisset. Hic Præstigiator prætendebat, se totum Exercitum reddere posse inutilem, & generosissimis quibúsque, suis malis artibus animos adimere. Sed tametsi nonnisi Impostor esset, impotens, quæ pollicebatur efficere, DEO non permittente ut Dæmones in destructionem generis humani habeant potestatem; ideò ab intoxicando se formidabilem reddidit. Asseritur, quòd hastile portaverit, cujus ferrum imbutum erat venenô tam subtili & vehementi, ut ad ipsum cor penetraret, qui levissimè illud contingeret, etiam vestimentis, vel illud solùm fixè intueretur. Carolus igitur, cui abominandus iste Veneficus promiserat, se intoxicaturum Ludovicum, illum habitu Fecialis transvestitum ad eum hâc occasione misit, quasi acceptatum duellum nunciaturus, & diem certamini destinatum petiturus. Sed Comes Potentianus, qui multa de hoc Venefico audiverat, & proditionem suspicabatur, eum, priùsquàm Regem alloqueretur, comprehendit, & vi torturæ omnem ex illo veritatem extorsit, quam infaustus ille confitebatur; tum ad mortem damnatus, & vivus crematus est.

Niem. 2. c. 24.

Mon. Dion. Joann. Juvenal.

Monach. Dion.

Tam sinistro successu confusus Carolus bellum protrahere conabatur, & Exercitum in Urbes & Arces munitas imposuit, campis omnibus devastatis hosti Ludovico relictis, qui tam in Apulia, quàm in Calabria multa occupavit. Intereà Pontifex Urbanus horrendum in modum Bullis fulminabat contra Regem Ludovicum, & omnes ejus adhærentes tanquam contra Apostatas, Schismaticos, Hæreticos, Blasphemos, excommunicatos, omnibus dignitatibus exutos, infames denique atque detestabiles. Imò Bullam Sacri Belli, publicavit, cum Indulgentijs, quæ olim Crucesignatis, contra Infideles in Terra Sancta pugnantibus, concedebantur. Videbat nihilominùs quòd non solùm exteri non accurrerent contra Ludovicum pugnaturi, verùm potiùs multæ Italiæ Urbes Romæ vicinæ & in Patrimonio Sancti Petri pro illo se declararent.

Niem. l. 1. c. 24.

Annus 1383. Aliud prætereà Urbani cor affligebat, quòd nimirùm Carolus ab annis jam fermè duobus in possessione Regni constitutus, nihil adhuc de terris, Ducatibus, & Principatibus, quos in receptione investituræ juratò promiserat, in favorem Francisci Prignani, Nepotis Urbani, cesserit. Tibure, quò se, durante Romæ peste, receperat, degens, nec alium præter se ipsum consulens, statuit Neapolim cum omnibus Cardinalibus & Curiæ suæ Officialibus proficisci, existimans, fore, ut populus magnæ illius Urbis Patriæ suæ, splendore supremæ dignitatis sibi esset accessurus, & consequenter Carolum in suam voluntatem facilè inducturus. Sed malè perspexit hujus Principis indolem longè astutiorem; qui satis apertè indicabat, sibi non placere, ejus adventum, vel ut se in gubernationem Regni misceret. Idcircò multi Cardinales hoc iter ei dissuadebant; & illi ipsi, quos ad dignitates Ecclesiasticas in illo Regno elevaverat, ei scribebant, ut sibi ab adventu caveret, nullam ei fore securitatem. Nihilominùs desideriô extorquendi à Carolo quæ cupiebat, ità sui oblitus est, ut Cardinales optimè suadentes tanquam hostes malè tractaverit, eósque secum ad profectionem, sub pœna depositionis, compulerit. Atque ità æstate fermè tota in parvis agri Romani Civitatibus transactâ, magnis cum incommodis Curiæ, periculosè absque Comitatu Custodiarum, transivit per Anagniam & Fundos, ubi præsidia erant Clementina, ac tandem initio Mensis Octobris propè Urbem Aversam, ubi Carolus Neapoli excurrens eum excepit; sed eô modô, qui

Niem. l. 1. c. 28.

Diar. Pignatell. ap. Raynald. Niem. ib. & c. 20.

Anno 1383. qui satis docuit, consilium datum à Cardinalibus fuisse amplectendum. Nam hic Princeps offensus hoc Urbani adventu, qui absolutum præseferre Dominum videbatur, eum sine cæremonia in habitu nigro accessit, quamvis Pontifex in illius honorem Pontificalibus indutus esset; Eum frigidè salutavit, dum agricolæ undique accurrentes, in terram prostrati, pedes ejus deosculabantur, & apprehensô frænô equi, consuetô more, officium Nobilis Equisonis obijt, non tam honoris causâ, quàm ut ejus personam haberet, atque in captivitatem, ùt brevi patuit, deduceret.

Postquam Civitatem ingressi sunt, Urbanum ad suum invitavit castrum, prætextu commodioris hospitij, quàm in Domo Episcopali habere posset, in qua tamen divertere maluit, metuens, quod altero die evênit. Nam portis Civitatis toto die clausis, nè discederet, Rex eum ad suum invitari castrum curavit, & renuentem licèt, ac resistentem ducebant à Rege missi, quos totis viribus, in via excommunicabat. Quinque diebus ibi moratus est, quin aliquid foris innotesceret, quid in Castro ageretur. Dicitur quòd Rex Pontificem compulerit ad renuntiandum conditionibus onerosis, quas promittere, dum investiretur, debebat, implere tamen nunquam intendebat: quô jam obtentô, non ideò libertati restituit Urbanum; sed illum Neapolim deduxit, ibique, aliquantū præveniens eum majori cúm fastu excepit quàm honore, in sublimi námque throno ante Urbis portam, Regio habitu vestitus, cum corona in capite, sceptro in una manu, & globo aureo in altera, nec nisi ad pedem throni, adventanti Pontifici assurgens: tum descendens, pedes ejus osculatus est, & in Urbem introduxit, ubi tamen néque solemnem ingressum institui, néque tapetibus plateas, more solito exornari permisit; & cùm in Archi-Episcopale Palatium divertere voluisset Urbanus, Rex nihilominùs eum in Castro novo collocavit; in quo indulgebatur, ei, alloquium petentes admittere, bonis tamèn custodijs Regijs conclusó, usquedum intervenientibus Cardinalibus, post dies circiter quindecim, concordia firmata fuisset, cum conditione, nè Pontifex ullatenus gubernationi Regni se immisceret; & quòd Rex Nepotem Urbani creaturus esset Principem Capuanum. Sed nec diu Principatu isto fruitus est Nepos; qui, cùm non solùm omni careret merito, verum etiam moribus esset corruptissimis, è Monasterio quodam Neapolitano, Religiosam Professam, cum horribili totius Urbis scandalo extractam, violavit: propter quod crimen, non obstantibus oppositionibus Urbani, Rex illum ad mortem condemnavit; & pro gratia, quam ei Cardinales impetrârunt, vitam permissus est ducere, in Civitate & Castro Noceræ, quò tandem Pontifex providè se recepit. Atque ità profectio Neapolitana, ùt prædicebatur, malè illi successit. Anno 1383. Diar. M.S. Pignatell. apud Raynald.

Sed nec felicior erat in bello, quod contra Galliam, quæ Clementi parebat, excitavit. Miserat annó superiore suas Bullas in Angliam, cum litteris ad Henricum Spenser Episcopum Norvicensem, quibus ei potestatem conferebat, Bellum Sacrum in toto Regno publicandi contra Clementinos, & specialiter adversùs Gallos, quos, inter magìs formidandos censebat hostes. Cùm Episcopus iste, Juvenis, spectabilis conditionis, audax, & aggressor, nonnisi occasionem quæreret, non attentâ sui characteris & professionis Sanctitate, bello sibi gloriam comparandi, hunc Urbanus Generalem Ducem Belli Sacri, Ecclesiæ nomine gerendi constituit: & videns, quòd Angli nomina sua militiæ isti daturi non essent, pro solo Indulgentiarum stipendio, indulsit illi decimam partem proventuum Froissard. 2. Volum. c. 132. & seq. Joann. Juven. Meyer. l. 14.

Annus 1383. tuum ex omnibus Angliæ Beneficijs, cum Indulgentia plenaria pro omnibus illis, qui pro hoc bello, secundùm facultates suas quidpiam essent collaturi: ùt ità Episcopus iste plusquàm duos milliones librarum Gallicarum collegerit, pro quibus tandem à Supremo Regni Magistratu, seu Parlamento, consensum obtinuit, quindecim & exinde millia peditum, ac duo millia equitum, qui omnes veterani erant milites, conscripsit, præter maximum numerum Ecclesiasticorum, qui exemplô illius arma capiebant, & sub finem Aprilis cum hoc Exercitu Caletum descendit. Illud autem in hac occasione stupendum erat, quòd Episcopus iste, qui tantam pecuniam & exercitum nonnisi contra Clementinos Gallos, authoritate Urbani collegerat, & suo Regi cum juramento promiserat, se contra nullum alium processurum; ità nihilominùs obfuscatus fuerit promissis Gandavensium, hostium acerrimorum Ludovici Flandriæ Comitis, ut subitò arma in Flandros verterit, quamvis omnes, uti Comes ipse, declarati fuerint Urbanistæ. Tantam facilitas aggrediendi homines, illud minimè cogitantes, ac imparatos, & certa spes magnorum spoliorum per totum maris tractum, in Provincia nullum adhuc bellum experta vim habuerunt in animum hujus militaris Episcopi, qui unicè cupiebat, bellare sinè resistentia, & sinè periculo, ut invaserit Provinciam, Urbano devotam; Gravelingam absque difficultate, & omnes alias Urbes mari adjacentes, parúmque illô tempore munitas, occupaverit; duodecim millia rusticorum, qui se ad defensionem propè Dunkerkam congregârunt, ferrô deleverit, & Berguam, Burburgum atque Montecassellium armis subegerit. Inde Ipram obsidere ausus est, sed à Carolo VI. Rege Galliæ depulsus, omnes Urbes, quas occupaverat, cum plerisque Anglis à Rege cæsis, reliquis autem ad interventionem Britanniæ Ducis, vitâ & libertate condonatâ inque Angliam profligatis, amisit, postquàm aliud nihil hôc bellô perperam institutô, & pejus continuatô, effecisset, quàm quòd Urbanistas, in ruinam conjecerit, cum Exercitu nomine Urbani Papæ conscripto, & honore amisso, indignationem sui Regis, Regnique totius incurrerit, quod punitionem hujus infulati Bellatoris altâ voce invocabat. Annus 1383.

Sed quia DEUS probè nôrat gloriam suam eruere ex rebus, quæ illi adversari videntur; ità occasione hujus belli, potentiam suam, eventu miraculoso fecit inclarescere, quem Historici Contemporanei, notandum esse judicârunt; éstque tantâ fultus authoritate, ut sinè fidelis Historici, & Christiani pro vera Religione zelantis, violato munere omitti nec debeat, nec possit. Dum Exercitus Regis Galliæ Burburgum intrâsset, Brittanni indignati, quòd ipsorum Dux gratiam procuraverit Anglis, cum suis impedimentis & spolijs abeundi; ad prædas in domos & Ecclesias procurrerunt, in quarum una, quidam ex his prædonibus rutilare videns pulcherrimam gemmam, pretiosámque in Corona Imaginis Sanctissimæ Virginis, Altare conscendit, & sacrilegas manus in sacram illam statuam, ad hunc pretiosum lapidem detrahendum, extendit; sed eô ipsô momentô dorsum ei obvertit Imago; & sacrilegus iste hôc prodigiô exterritus, & formidine atque horrore plenus, ùt longus erat, in transversùm decidit, furoréque correptus, ac totus rabidus, se ipsum dentibus lacerans, exspiravit. Unus è socijs illius, lapsum existimans fortuitum, locum ejus capere voluit, ad crimen inchoatum consummandum resolutus: verùm eôdem instanti omnes campanæ se ipsis sonare cœperunt, quasi totum Exercitum in subsidium vocarent, militibus è vicinia concurrentibus, qui testes fuerunt tanti miraculi, quod adeò verum erat, ut Rex omnésque Curiæ ipsius Domini, ad reparandum

Joann. Juven. Monach. Dionys. l. 2. c. 5. Froissart. 2. Vol. c. 145. Gaguin. l. 9.

Gaguin.

Annus 1338. dum aliquâ ratione hoc geminatum sacrilegium, magnificas eódem die in hac Ecclesia fecerint oblationes. Hoc revocare in dubium contra testimonia non solùm trium Authorum Contemporaneorum, verùm etiam unius integri Exercitûs, & unius Regis Galliæ, omniumque Regni ejus Magnatum, qui eum comitabantur, & profectò nimiæ credulitatis accusari non possunt; aliud non esset, quàm fidem omnem negare Historiæ, & omnibus optimè firmatis relationibus, absque ratione alia, quàm quòd quispiam nolit credere, quod factum non esse maluisset.

Dum ità Urbani Pontificis intentiones malè procederent contra Gallos Clementinos, & Carolus creatura ejus, cui Regnum Neapolitanum donaverat, eum tanto cum rigore atque contemptu tractaret; Rex Ludovicus Andegavensis, post initia prospera, fortunam cæpit sentire adversam. Nam hyeme in Calabria & Apulia summis cum incommodis transactâ, sinè navibus, pro afferenda annona, quam in terra undique Carolus præpediebat, & invalescentibus vernô tempore in Exercitu morbis, amissô multô milite, fame superveniente, exercitum vehementer imminutum habuit. Eum Carolus facilè vinci posse credidit, & ad illum aggrediendum solemniter se præparavit. Nam primô die Januarij, magnam adivit Ecclesiam Neapolitanam, cum Regina & tota sua Curia, atque innumerabili populi multitudine ad hoc spectaculum accurrentis, ubi Urbanus Pontifex, qui nondum Neapoli discesserat, Pontificalem celebravit Missam, & priùs magnum Ecclesiæ vexillum benedixit, in quo Imago Sancti Petri cum clavibus visebatur, illud in manus Caroli tradidit, eúmque denuò Sanctæ Ecclesiæ Generalem Belliducem contra Exercitum schismaticorum declaravit: tenuit illud Carolus toto Missæ tempore, in cujus fine Urbanus Bellum Sacrum in-

Diar. M. S. Pignat. Summont. l. 4. c. 1.

Annus 1384.

dixit contra Ludovicum; utrumque generosè acceptavit Carolus; sed sapienti consiliô Principis Othonis Brunsuicensis auditô, quem idcircò libertate donavit, utrumque declinare maluit, ut ærumnis Exercitum Ludovici consumeret: qui reipsa transacta inutiliter æstate in extrema rerum omnium penuria, inter infirmitates contagiosas, & calores excessivos, totum fermè amisit Exercitum, & ipse Rex Ludovicus die vigesimo primo Septembris Barij mortuus est, sive ex dolore successûs infelicis suorum cæptorum, sive ex infirmitate contagiosa, quâ correptus erat, sive etiam, ùt nonnulli scripserunt, ex aqua hausta fontana ab hostibus intoxicata. Quidquid horum sit, certum est, quòd post multas adversitates invictô animô toleratas, Christianissimè obierit, anno ætatis quadragesimô sextô, & Regni Neapolitani secundo. Annus 1383.

Annus 1384 *Niem.*

Carolus Dirrachij suam hâc occasione testari voluit generositatem, Magnifica hosti suo instituit funeralia, & luctum triginta diebus portavit: quô tamen non impediebatur à fruitione gaudij, ex morte, quæ illum solum in possessionem Regni induxit; ubi tamen factionem considerabilem habebat, pro juvene Rege Ludovico II. qui ætatis annô septimô in Regno successit Regi Patri suo, sub tutela & gubernatione Matris de Blois, Filiæ famosi Caroli de Blois, Britanniæ Ducis. Hæc fuêre initia Belli è Schismate Occidentis prognati, quo tota fermè devastata fuit Italia. Sed magìs deplorandum erat, quòd eôdem tempore, aliud exortum fuerit Religioni magìs funestum ex Hæresi Wiclefi, quæ favente sibi schismate, propagata & roborata fuit, eô quô dicemus modô, rem paulò altiùs inchoando.

Walsing in Eduar. III. & in Rich. II. Thom. Waldens. Polydor. c. 18. Harpsfeld. Hist. Wiclef.

Joannes Wiclef natione Anglus, ex Comitatu Northumbriæ, totam suam juventutem in studio Universitatis Oxoniensis, quæ in Europa erat ex celebribus Academijs, traduxit, in qua gradum Doctoratûs adeptus,

Ep. Gregor. XI. apud Walsing Thom. Waldens. c. 2.

Annus 1384. ptus, Theologiam, & sacras Litteras cum egregia laude docuerat. Ingeniô pollebat vivaci, & acutissimo, sed majori audaciæ & pertinaciæ sociato, ità ut dum semel calore disputationis accensus, tuendam aliquam suam conclusionem, assumpsisset, ex qua tanquam ex principio manifestæ deducebantur sequelæ, quantumvis exoticæ atque etiam ineptæ, ipse nihilominùs adhibitis detorsionibus, & subtilitatibus Dialecticæ, in qua erat peritissimus, suæ insistebat opinioni, nè aliquando videretur ad revocandum compelli. Et quia novitas magna semper causat illicia in mentibus parum solidis, quæ nonnisi in falso splendore, quo capiuntur, sistunt, néque fundamenta rerum penetrant; ideò vehementissimè affectabat obsoleta quædam antiquorum Philosophorum deliramenta resuscitare, eáque tanquam suas novas inventiones, maximè in Physica, & inter alios sapientes incognitas veritates, venditabat. Hâc ratione magnam sibi, nominis inter maximos sui temporis Viros, famam comparavit, & plurimorum Baccalaureorum, ac juvenum Doctorum numerum, qui ejus adhærebant opinionibus, & credebant, hoc esse medium & securiùs & commodiùs in homines magìs ingeniosos & idoneos evadendi, sibi sociavit. In tali statu positus, & tam considerabili sectatorum numero nixus, in famosa illa Universitate sibi persuasit, nihil tam sublimè reperiri posse, ad quod meritum suum provehi non valeret. Sed cùm primùm vidisset exclusum se esse à Principatu Collegij Cantuariensis, quòd Archi-Episcopus Simon Langham Oxonij fundaverat, & paulô post spes ei sublata fuisset Episcopatus Vingormiensis adipiscendi, quem illi Pontifex denegaverat, tantam concepit indignationem, & odium contra sanctam Sedem, contráque totum ordinem Ecclesiasticum, ut, licèt Curatus fuerit in Diœcesi Lincolniensi, omninò statuerit in animo, potestatem

Walden. c. 1. Doct. 5.

Hist. Univers. Oxon. t. 2. p. 184.

Waldens. loc. cit.

& authoritatē Ecclesiæ ex vindicta, in nihilum, quantum posset, redigere. Annus 1384.

Ad hunc perniciosum finem existimabat faventissimum adesse tempus; Murmurabatur enim in Anglia, contra nimias exactiones Legatorum, & Nunciorum Pontificiorum, & contra modum Romanæ Curiæ, quô Beneficia Regni concedebantur. Ecclesiastici vitam ducebant satìs licentiosam, & ingentes proventus bonorum, quæ possidebant, in luxum, voluptates, & vanitates fovendas, impendebant; Sciebat, Magnates Regni perlibenter visuros, si humiliarentur, & multò magìs si spolijs eorum fruerentur: erátque omninò certum, quòd semper habuerit in Universitate homines, qui eum sequebantur, & doctrinam ejus, prout volebat, fortissimè tuebantur, palámque profitebantur; Insuper, non solùm, nihil erat, quod metueret, verùm etiam, omnia sperare à Curia poterat; dúmque Rex Eduardus III. qui ad finem vitæ jam vergebat, aliud non satagebat, quàm ut dies suos prolongaret, homo iste astutus, viam invênit, Ducem Lancastriæ sibi devinciendi, qui omnia gubernabat, & Principissam Valliæ Matrem juvenis Principis Richardi, qui avo suo erat successurus.

His ità optatè dispositis, ut ad scopum pessimi sui propositi pertingeret, producere cœpit, non unâ vice omnes, sed aliquos duntaxat suos errores, quos tueri voluit, ad statum Ecclesiasticum demoliendum, & Pontificis authoritatem evertendam, quales inter alios erant hi: *Ecclesia Romana non est Caput aliarum Ecclesiarum, nec ullam super illas habet prærogativam. Pontifex & consequenter Archi-Episcopi, & Episcopi nihil plus habent quàm simplices Presbyteri. Néque Clerus, néque Monachi possidere possunt ulla Bona Temporalia; & Imperator Constantinus atque Sylvester Papa, hanc Divinam Legem violàrunt dotando Ecclesias. Prælati & Presbyteri omnem potestatem spiritua-*

Waldens. Harpsfeld. Walsing.

Annus 1384. *tualem & temporalem amittunt, dum sunt in peccato mortali, quod unusquisque privatus potest agnoscere. Nihil eis, præter eleemosynam, utì alijs pauperibus debetur. Dum malè vivunt, nihil eis donare licet in conscientia, nè quidem Decimas, ad quas exigendas nullo jure gaudent; Principes autem & Domini temporales tunc tenentur sub pœna damnationis, eos omnibus, quæ possident, spoliare. Cæterùm eorum excommunicationes sunt nullæ, nisì, qui hoc fulmine percutitur, se ipsum priùs excommunicet; néque apud illos tolerandi sunt carceres, vel ut contra Christianos viâ justitiæ procedant, quod ad solos Principes & Dominos Temporales atque Magistratus pertinet.*

Ecce, quâ viâ vafer Hæresiarcha processerit, ut Laicis, & maximè Principibus & Magnatibus adularetur, útque illos in suas partes contra Ecclesiasticos attraheret; reservando sibi ansam ex ijsdem principijs abolendi posteà gubernationem politicam, quibus Ecclesiasticam priùs evertere conabatur. Et quia semper asserebat doctrinam suam in puro Evangelio fundari, maximè verò in paupertate perfecta JEsu Christi, ejúsque Apostolorum, quæ omnium deberet esse Ecclesiasticorum norma, ideò exemplum illius ad fidem sibi comparandam, exhibere volens, nudipes ambulabat, tanquam Apostolus, simplicissimè vestitus, cum suis discipulis, qui ejus doctrinam cum incredibili fervore tuebantur, & sic totam fermè peragravit Angliam usque Londinum, nonnisì de reformatione Cleri, de Evangelio puro, de Ecclesia primitiva loquens, & ubique magna cum vehementia prædicans contra divitias, luxum, avaritiam & abusus intolerabiles, qui, ùt ipse ajebat, post Constantinum & Sylvestrum irrepserunt in Ecclesiam.

Hist. Univers. Oxon. t. 2. p. 184. 186. 189.

Gregorius XI. paulò post suum Romam reditum, de tam horribili scandalo admonitus, fortiter scripsit ad Universitatem Oxoniensem, eíque negligentiam exprobravit, quòd toleraverit doceri doctrinam apertè hæreticam, nec ei restiterit; præcipiebátque ut Wiclefum in manus Archi-Episcopi Cantuariensis, & Episcopi Londinensis extraderet, quibus etiam per litteras injungebat, ut Processum contra illum instituerent, Regémque admonerent, ad quem Breve Apostolicum misit, quòd errores tam periculosi hominis, æquè perniciosi essent Regno, atque Ecclesiæ. Sed cuncta hæc Brevia, nonnisì post mortem Eduardi, & initiô Regni juvenis Regis Richardi II. illius Nepotis, allata, qui defectu ætatis nondum gubernabat, sortiri non poterant effectum. Numerus sectatorum Wiclefi tantus erat in Universitate Oxoniensi, ut aliquô tempore deliberatum fuerit, an Breve Apostolicum recipiendum esset, an clausum remittendum, quod tamen remissum non fuit, nec aliud obtineri poterat. Duo illi Prælati Commissarij, ad suum Tribunal citârunt Wiclefum ad respondendum de novemdecim doctrinæ suæ articulis, à Pontifice transmissis. Hæreticus iste, citrà difficultatem eorum Judicibus se stitit audacter; utpotè securus de inveniendis potentibus Protectoribus, qui ejus præpedituri essent condemnationem. Re ipsâ præter Ducem Lancastriæ, & Henricum Perlium, magnum Angliæ Mareschallum, qui tunc illum fulciebant, ad mortificandos Episcopos præsertim Londinensem, quibus non afficiebantur, etiam protegebatur potentiùs à Principissa Walliæ juvenis Regis Matre, quæ adeò manifestè patrocinabatur Wiclefo, ut summa cum ferocia per simplicem nobilem, duobus illis Prælatis dici curaverit, caverent nè quidquam contra hunc Sanctum Virum pronuncient. Quasi nulla Hæresis esse posset, prout exempla docent plurima, quin semper inveniat protectionem, &, ùt ità dicam, arcem reperiat in cujuspiam Principissæ imbecillitate, quæ seu vanitate, honoris causâ, sive illusione ac spe for-

Ap. Walsing. in Rich. II.

Annus 1384.

Ap. Walsing. Harpsfeld. c. 5. 1378.

Walsing.

Annus 1384. forsan meriti acquirendi, ducem induere conatur sectæ; quæ subsistere non valens, collabitur, & suis tandem involvitur ruinis.

Ex altera parte vulgus Londinense, hujus Impostoris hypocrisi seductum, adeò negotio isti se immiscebat, ut etiam in ipsam Capellam Archi-Episcopi Cantuariensis audacter intrare præsumpserit, ubi Wiclefus erat in quæstione, & pro illius defensione loqui, protestando, se non toleraturum, ut illi condemnatione, injustitia irrogetur. Quô adeò conterriti fuêre hi Prælati, eorúmque constantia concussa, ut, quamvis recepto Brevi Pontificis, protestati fuerint, se fideliter executioni daturos Comissionem sibi impositam, neque precibus, neque cujuscunque minis quidquam concessuros; nihilominus mentem mutaverint, & ministerium suum fœdissimè prodiderint. Cùm enim propositiones, quæ in suo sensu nativo, errores omninò intolerabiles continebant, damnare debuissent, talem earum interpretationem admiserunt, qualem eis Wiclefus tribuebat, nempè in sensu detorto, à terminis propositionum dissono, quem ad exprimendam suam Hæresim reservabat, eámque liberè tuendi præbebat libertatem, unà cum propositionibus non condemnatis, quas ille simpliciter, & absque coloratis interpretationibus prædicabat. Hâc ratione Wiclefus dimissus est à Commissarijs, qui promissioni ejus de silentio cum veneratione circa illos articulos observando, factæ acquieverunt, ad evitandum scandalum, & perturbationes, quæ alioqui poterant exoriri. Sed adeò parùm obtemperavit, ut potiùs novos errores & prioribus deteriores paulò post asseruerit, & nemine contradicente, palàm vulgaverit.

Intereà Gregorius ex hac vita decessit: & cùm primùm Urbani Electio innotuisset, qui initiô pro vero Pontifice agnoscebatur, eum Wiclefus circumvenire studuit, & suâ hypocrisi atque speciosis protestationibus, quæ jam aliàs ei successerant, sibi lucrifacare, exemplô Montanistarum, Arrianorum, & Pelagianorum, qui primò ad Pontifices, ut circumveniendos, recurrebant. Scripsit ad Urbanum Papam litteras veneratione, ac submissione plenas, suam doctrinam exponendo, prout optimè ad eum seducendum, poterat; supplicabátque, ut eam vel confirmaret, si orthodoxam censeret; vel si defectuosam, corrigeret. Sed Schismate duorum Pontificum superveniente, eô quô supra diximus modô; sive quòd memoriæ de rebus ab Urbano gestis, ad hanc nascentem Hæresim exstinquendam adhibitis, interierint; sivè quòd negotia, quibus obsidebatur, huic eum vacare non permiserint, prout Gregorius fecit, certum est, nihil constare, an initiô illius Schismatis Romæ quidpiam actum fuerit adversùs Wiclefum, qui lætitiam concepit inexplicabilem, deploranda illa Pontificum divisione intellectâ, quæ totam Ecclesiam Catholicam conturbavit. Tum enim & vivâ voce, & scriptis, tam per se ipsum, quàm per suos discipulos disertè vulgabat, hanc esse justam DEI ultionem contra Ecclesiam Romanam, quòd tantô tempore injustam sibi usurpaverit dominationem super omnes alias Ecclesias, & suis erroribus totum Orbem terrarum corruperit, bellúmque hoc Papale occasionem fore magni Ecclesiæ universæ boni, quòd nimirùm, debilitate Anti-Christi detecta, animaturum esset fideles ad cognoscendas, & prædicandas audentiùs veritates Evangelicas: sic suos ei qualificare placebat errores.

Fox. Wiclefista ap. Sander. de vis. Monar. L. 7.

Waldens. l. 2. ar. 3. c. 42. 45.

Et profectò à Clemente nihil erat, quod metueret, qui non agnoscebatur in Anglia; neque ab Urbano, quem sciebat alijs negotijs occupatum, & à multis potentibus infestari hostibus, sibi proinde parum formidabilem: ætas quoque Minorennis Regis Richardi erat illi valde utilis: faven-

Annus 1384. te igitur hoc miserando Schismate, audaciam induit, ad omnes reliquos errores suos eructandos, è quibus Hussitæ & Protestantes tam Lutherani, quàm Calvinistæ plerosque suæ existimatæ Reformationis articulos desumpserunt. Et nè longum ac tædiosum hic texamus Catalogum octingentorum errorum, quos aliqui ex ejus scriptis extractos esse asserunt, solùm dicemus, quòd præter illos jam antea contra Primatum Pontificis & authoritatem Ecclesiæ productos, *aboleverit sacras omnes Caremonias, totum Ordinem Hierarchicum, Vota Monastica, omnes Ordines Religiosos, Cultum Sanctorum, Reliquiarum, & Imaginum; liberum hominis arbitrium, asserendo, omnia fieri necessitate absoluta & inevitabili; quòd DEus homines determinet ad actus bonos & malos, quin aliter agere possint. Denique omnia repudiat, quæ clarè ac distinctè non exprimuntur in scriptura, sinè recursu ad Traditiones; Conciliorum decisiones, & Patrum authoritatem rejiciendo.* Nihilominus, cum extraordinaria ineptia, Discipuli ejus, celebrare illum pro Doctissimo omnium mortalium volebant, cui nihil discendum restaret, inter alia asseverabant, quòd plenissimè Sanctum Augustinum possideret; & ut ostenderent, quòd lectis & relectis ejus Libris, mens hujus Sancti Doctoris in eum transiverit, Joannem Augustinum Wiclefum appellare illum solebant; quamvis nihil magis oppositum sit doctrinæ hujus Sancti Patris, quàm istius hæretici doctrina.

Thom. Wald. Vid. Harpsfeld. & Walsing.

Harpsfeld. c. 10.

Illud autem luculentiùs ostendit sequelas illius perniciosas, quòd iisdem principiis contra Ecclesiæ authoritatem adhibitis uti voluerit ad evertendam etiam Principum potestatem. Cùm enim assereret, quòd per peccatum Sacerdotibus & Episcopis omnis tollatur potestas, dicebat posteà eum, qui mortale peccatum committit, etiam jus omne præcipiendi & mandandi amittere, cum omni dominio, & potestate temporali. Insuper docebat, nulla tributa imponi posse Christianis, nisi clarè ostendatur è sriptura sacra, ea solvenda esse in circumstantijs, in quibus exiguntur: ità subruebat omnis potestatis, & superioritatis fundamenta, & æqualitatem inter homines, & consequenter omnimodam independentiam stabilire volebat, dogmatáque falsissima, quæ manifestè omnem Politicam gubernationem subvertebant. Cùmque illa, Discipuli ejus ubique prædicarent, nemine ampliùs resistente, propter innumerabilem plebejorum multitudinem, qui sermones eorum seditiosos, tam in Ecclesiis, quàm in foris publicis quotidie ad concitandum populum iteratos, sequebantur, inde factum est, quòd subitanea, simultanea, atque universalis in omnibus Regni Provincijs exorta fuerit insurrectio Rusticorum, & agricolarum, qui secundùm leges Anglicanas, specie quadam servitutis, tenebantur agros Dominorum suorum excolere. Isti in apertum prodivêre campum sub diversis Tribunis, quos elegerunt, & ad ducenta millia numerò ascendebant, innumeros & horrendos excessus patrabant, & plenâ voce *Libertas! Libertas!* inclamabant; illósque maximè trucidabant, qui justitiæ administrandæ officio fungebantur, ad abolendas, uti dicebant, omnes leges, quæ nihil aliud essent, opinione ipsorum, quàm effectus violentiæ atque Tyrannidis potentiorum.

Waldens. Harpsfeld.

Annus 1384. 1380. 1381.

Walsing. in Rich. II. Harpsfeld. c. 12.

Plusquàm centum millia, usque ad ipsas Londini portas processerunt, Ductore quodam Presbytero Wiclefista Joanne Basle, quem Archi-Episcopus Cantuariensis propter seditiosos sermones in carcerem conjecit, & quem contumax populus inde extraxit, quod ipse prævidebat tandem futurum, & prædicebat. Hic furiosus homo videns Rebelles Metropolim invasuros, concionari voluit ad populũ, & locò scripturæ textûs, illud Anglicanum assumpsit proverbium: *Quando Adam terram colebat*

Walsing.

Annus 1384. *lebat, & Eva fila ducebat, quæ tunc erat in mundo Nobilitas?* Desuper libertatem prædicabat, quam, ùt inquiebat, natura illis contulit, eàmque sola hominum abstulit injustitia, & unicum superesse ad eam recuperandam medium, de medio tollere omnes, qui hanc opprimebant libertatem, omnes videlicet Magnates Regni, & cuncta ad æqualitatem reducendo. Concio ista, summis cum acclamationibus ab his effrænatis excepta fuit, qui contra omnem Præfecti Urbis resistentiam, à plebe Londinum recepti sunt, ubi ab occisione Archi-Episcopi Cantuariensis, Cancellarij Regni, & Magni Thesaurarij, initium fecêre illius horribilis propositæ executionis, quā eis Joannes Basle Wiclefista inspiravit. Oportebat, ut etiam Rex, pro sua securitate, per literas Patentes libertatem omnem, qualem desiderabant, illis assereret, quin tamen acquiescerent. Cùm enim supremus ipsorum Ductor, opificiô Tegularius, belluinus homo, & insolentissimus omnium, firmiter decreverit; Regis personam intercipere, semper alia & nova postulabat, & Regios Deputatos cum extrema insolentia tractabat: ità ut Præfectus Urbis tolerare ampliùs non valens tantam indignitatem, eum invaserit, & gladio in terram prostraverit, ubi à reliquis Præfecti sociis, brevi confectus, mansit.

Post hoc boni Cives, atque Nobilitas in succursum Regis accurrerunt, & juvenis hic Princeps, ut se quantocyùs, & absque profusione sanguinis expediret ab illis Rusticis hominibus, morte sui Ducis vehementer consternatis, denuo illis amnistiam, cum libertate, qualem desiderabant, confirmavit; atque ità omnis illa fæx rustica, seipsâ, dissipata est, unoquoque inter beneficia reponente, quòd ad propria reverti permitteretur. Post dies non multos Rex potenter armatus, omnes percurrebat Provincias, cuncta in ordinem debitum reducebat, & seditiosorum insolentiam comprimebat, pœnis eorum Ducibus inflictis, qui omnes quadrifariam dissecti fuerunt. Unus eorum, dum ad supplicium duceretur, sponte sua, non interrogatus, confessus est, Regem intercipiendum fuisse, ut se nomine ipsius roborarent, quem postea cum officialibus justitiæ & omnibus Dominis tam temporalibus, quàm spiritualibus, interficere decreverunt, ut ità, juxta ipsorum imaginationem, novas conderent leges, & novam gubernationem, & inter omnes æqualitatem instituerent. Isti fuêre fructus primi, quos nova doctrina Wiclefi in suó exortu peperit: inde pulcherrima nascitur omnibus supremis Principibus prælectio, qua illuminentur, quanto cum robore opponere se debeant omnibus, in materia Religionis novitatibus, non tantùm pro emolumento Divinæ gloriæ, verùm etiam Regnorum & Ditionum, quas nisi celerrimè supprimant, novæ doctrinæ Authores, indubitanter conturbabunt periculosa, quam sibi conciliabunt, factione. Annus 1384.

Interea Hæresiarcha Wiclefus, cujus detestabilis doctrina per ejus discipulos vulgata, vera erat perturbationum causa, in suo recessu pacificè morabatur, nè causam illarum se fuisse appareret. Imò ut ostenderet se præ oculis nonnisi Regni bonum habuisse, & solos abusus, injustásque usurpationes Ecclesiasticorum impetivisse, misit anno sequente Londinum ad supremum Angliæ Magistratum, certas propositiones, quas asserebat esse pro conservandis juribus Regis, Regnîque Angliæ inalienabilibus, & quæ manifestè tendebant, ad evertendam omnem Ecclesiæ potestatem, in favorem Dominorum, & Communitatum, adversùs Episcopos, quales erant hæ atque his similes: *Neque Rex neque Regnum submittere se debet ulli Sedi Episcopali, nisi è Scriptura probetur, id à JESU Christo præcipi; quod fieri non posse docebat, quia contendebat authoritatem Pontificis & Episcoporum nullatenus à JE-*

Annus 1384. *JESU-Christo, sed à Constantino Imperatore promanare. Quòd nihil à populo exigendum sit, nisi postquàm bona Ecclesiastica, in necessitates publicas fuerint impensa. Quòd Rex in conscientia confiscare teneatur bona omnia Prælatorum, qui mortaliter DEUM offendunt, nec ullum adhibere possit Episcopum in Officiis & negotiis Regni, absque proditione causæ JESU-Christi.*

Existimabat, has & similes propositiones, utpote Regi, Dominis, & populo faventes, sibi protectionem supremi Magistratus, seu Parlamenti reconciliaturas, quare eodem tempore audaciam induit majorem, publicando per se, suósque Discipulos, doctrinas alias magis perniciosas, maximè contra Sacro-Sanctam Eucharistiam, & ubì suam philosophandi rationem mensurare ex veritatibus fidei, eásque semper supponere tanquam principia irrefragabilia debebat, ad rejicienda postmodùm illa, quæ illis naturaliter opponi possent, ille ex opposito, Mysteria Fidei è Principiis Philosophiæ suæ mensurare volebat, quæ tanquam infallibilia tenebat, & juxta illa Religionis articulos contendebat esse explicandos, omnia rejiciendo, quæ hujusmodi principiis repugnare videbantur. Et cùm in scholis docuisset, accidentia nullatenus à substantia distingui, atque ex altera parte videret, post consecrationem accidentia, videlicet quantitatem, & qualitates Panis & Vini, eadem quæ antea fuerunt, permanere; inde concludebat, etiam substantiam Panis & Vini perseverare, & hanc substantiam esse Corpus JESU-Christi. Sed quia evidens est, quamdiu permanet, semper eadem, & ejusdem est naturæ, ideo rursus asserebat, illam realiter non esse Corpus JESU-Christi, sed solùm repræsentationem, & quandam participationem virtutis, & operationis; consequentérque non esse adorandam. Et hoc ipsum est, quod Berengarius dicere volebat quodvè hodiedum nostri temporis Protestantes dicunt, errores Calvini sectantes. Adeò periculosum est Philosopho Christiano, vanitatem captare, & existimationem ingenii venari ex opinionibus extraordinariis, quarum sequelæ periculosæ insensibiliter in Hæresim tandem deducunt, dum illis adhærendo, illa nequit evitari, immittendo se in necessitatem tuendi longè minùs credibilia, quàm illa ipsa, quæ de hoc adorabili Mysterio Eucharistiæ cum omni certitudine credimus. Annus. 1384.

Sed Wiclefus tandem spe sua destitutum se vidit. Nam Parlamentum, facilè deprehendens malignitatem hujus Impostoris, cujus falsa doctrina non minùs Statui Politico, quàm Ecclesiastico erat perniciosa, procul has ejus rejecit propositiones, quæ ad judicium Archi-Episcopi Cantuariensis remissæ fuerunt. Erat ille Guilielmus de Courtenay, ex Episcopo Londinensi, factus Archi-Episcopus primæ hujus in Anglia Ecclesiæ, post mortem Simonis à seditiosis Rusticis occisi. Videbat ille, infelici experientiâ, quòd Wiclefistæ, non solùm non observarent, venerandum silentium quod Londini ante quadriennium promiserant, quando explicationem Wiclefi primarum propositionum acceptaverant, verùm etiam, quòd novas indies producerent: idcircò dum se videret authoritate supremi Magistratus fultum, statuit, priorem agendi modum nimis mollem, & condescendentē corrigere, atque alium longè firmiorem tenere, omnémque suam potestatem, atque authoritatem Ecclesiæ Anglicanæ impendere, ad hæresim istam penitus abolendam, quæ tantopere cæpit in Regno, & præcipuè in Universitate Oxoniensi propagari. Hac resolutione facta, tanquam Primas in Regno Angliæ, & Sanctæ Sedis Legatus, Londini Concilium Nationale instituit, in quo præter Episcopos suos Suffraganeos, multi alii aderant, & magnus numerus Doctorum Theologiæ, & Sacrorum Canonum, ex omnibus Regni Provinciis. Initium factum est die de-

Act. Concil. Londin. t. 2. Coll. ett. Angl. Walsing. in Rich. 2. Harpsfeld. c. 5. Concil. Londin. Edit. Paris. t. 11. p. 2. Hist. Univ. Oxoni. t. 2. p. 192.

Annus 1384. decimo septimo Maji. Examinatæ sunt viginti quatuor propositiones ex Libris Wiclefi desumptæ; & post maturam deliberationem, quatuordecim tanquam erroneæ, decem verò tanquam hæreticæ damnatæ fuerunt, præcipuè sequentes: *substantia Panis materialis & Vini post consecrationem manet in Sancto Sacramento Altaris: accidentia in eo non sunt sinè suo subjecto: JEsus-Christus in eo non est verè, realiter & corporaliter præsens. Quando homo est contritus, confessio peccatorum est superflua, Post Urbanum VI. nullus agnoscendus est Papa, sed exemplò Græcorum propriis Legibus vivendum.*

Condemnationem harum publicari jussit Archi-Episcopus in omnibus Ecclesiis, & maximè in Universitate Oxoniensi, injungendo Cancellario Roberto Rugge, ut invigilaret, nè quidquam contrarium huic condemnationi, seu in scholis, seu in Prædicationibus doceatur. Sed Cancellarius iste, qui sectæ adhærebat, quanquàm dissimularet, hac tamen occasione satis celare non poterat, quin prudentiam passio vinceret, & maximè impetuosos Wiclefistas prædicare fineret, quorum unus die Sanctissimi Sacramenti, magno cum scandolo auditorum, dicebat: se nihil de hoc Mysterio dicturum, usque dum DEO placuerit illuminare, nondum illustratam de hoc Mysterio Ecclesiam. Hæc insolentia horribili sociata impietati, Archi-Episcopum adegit, ut Cancellarium, & Universitatis Oxoniensis Wiclefistas ad suum Tribunal citaverit, ubi eis legaliter demandatum est, ut sensa sua de propositionibus damnatis Wiclefi declararent. Posteaquàm protestati fuissent, magna cum humilitate apparente, utpote magni hypocritæ, quòd semper filij essent obedientissimi Ecclesiæ, dicebant, propositiones illas in diverso sensu posse intelligi, quorum unum protulerunt Ecclesiæ contrarium, eúmque damnabant: nec difficile Judicibus erat, fraudem Hæreticis usitatam, deprehendere; qui sensum detortum damnantes, & suis propositionibus tribuentes, easdem semper tueri volunt contra sensum, quem naturaliter juxta veram terminorum significationem exprimunt, & sua interpretatione sensum faciunt hæreticum. Idcirco Archi-Episcopus illis præcepit, ut clarè, absolutè & sinè distinctione edicerent, quid crederent significari terminis primæ propositionis: *substantia panis materialis, manet post consecrationem in Eucharistia.* Tum enim verò manifestè apparuit artificium hominum fraudulentorum: semper enim respondebant, se aliud quod adderent jam dictis non habere. Proinde Archi-Episcopus, octiduum ad capienda saniora consilia, & responsa clara sinè omni hæsitatione afferenda, indulsit.

(Walsing. — Collect. Angl. Walsing.)

Durante octiduô isto, ad Ducem Lancastriæ confugerunt, cujus adhuc protectionem sperabant. Sed hic Princeps, qui jam viderat ex præterita seditione, quòd supremi Principes, non haberent majores his Novatoribus in materia Religionis hostes, qui nec Spiritualem, nec temporalem paterentur potestatem, dorsum illis, & Wiclefo obvertit, eósque deseruit, dixitq; Archi-Episcopo absolutè parendum esse. Rex quoque, cujus negotia plurimùm tangebantur; pro bono Ecclesiæ, Regníque, per omnes Provincias publicari curavit Declarationem suã de duodecimo die Julij, quô nimirum Concilium Londinense certas propositiones tanquam hæreticas vel erroneas condemnavit; ipse verò tanquam Protector Fidei Catholicæ in suo Regno, cùm nullam hæresim, aut errorem tolerare possit, potestatem & authoritatem conferat Archi-Episcopo Cantuariensi, capiendi ubique, & incarcerandi ubicunque voluerit, omnes illos, qui adhuc prædictas propositiones damnatas prædicare, vel defendere præsumerent, eósque detinendi, quousque in viam rectam non redierint, & con-

(Walsing. Harpsfeld. — Collect. Angl.)

Annus 1384. condemnati non fuerint : injungebat etiam omnibus Officialibus, & subditis suis, cujuscunque conditionis, sub pœna incurrendæ rebellionis, nè ullum auxilium, vel favorem, ullo modo præberent illis, qui prædicare, vel tueri damnatas illas propositiones auderent, aut eorum fautoribus; sed ut humiliter obedirent Archi-Episcopo, & Episcopis, eisque forte brachium præberent ad executionem eorum, quæ illi contra hoc genus hominum, demandabunt. Scripsit præterea ad Universitatem Oxoniensem, ac præcipiebat, rescindi ab ejus Corpore Wiclefum, & omnes ejus discipulos; in libros eorum diligenter inquiri, & ad Archi-Episcopum Cantuariensem transmitti; Urbis Gubernatori & Magistratibus injungendo, ut ejus mandata exequerentur. Talis fuit declaratio Regis Richardi, quæ exactissimè observata, pacem restituit Ecclesiæ Anglicanæ, & Angliæ universæ gloriam, quam habebat, quòd ab annis ferme octingentis à sua ad Fidem Catholicam Apostolicam Romanam, curâ & solicitudine Magni Pontificis Sancti Gregorij conversione, nullam hæresim toleraverit. Sperare licet, diem aliquando venturum, quo Regnum tam florens, & hodiedum à viris ingenio & doctrina claris, celebre; facta solida reflexione super originem, ex qua veram traxit Religionem, & super constantiam atque fortitudinem, cum qua tempore tam longo eam conservavit; erubescat, quòd his postremis sæculis illam amiserit, partem secuta errorum, quos tam solemniter in Wiclefistis condemnavit, & hæc Declaratio Regis in Anglia penitus exstinxit.

Harpsfeld. c. 5.

Harpsfeld. c. 4.

Denique præcipui Discipuli Wiclefi, & sectæ Coriphæi, videntes, quòd rigidè procederetur cõtra obstinatos in suis erroribus, tandem post multas tergiversationes, proponendo duplicem sensum in illis propositionibus damnatis, & cavillationes diversas, coacti sunt, licèt inviti, simpliciter mentem suam de illis aperire. Concesserunt igitur prædictas propositiones, intelligendo eas prout verba sonant, fore vel hæreticas, vel erroneas: juxta quod responsum D. Archi-Episcopus & Magistrorum Cœtus, sicut antea in Concilio, eas iterũ condemnavit. Rarissimè visum est, quòd sectæ hæreticæ cujuspiam Duces, vel præcipua membra, sincerè suos abjuraverint errores. Dæmonis characterem ordinariè ferunt, qui est inemendabilis, quo signati, nonnisi ore condemnant id, quod coguntur, interim contrarium corde fovent, prima occasione idem palàm dicturi. Omnes ferme Discipuli Wiclefi, qui se Decreto Synodi, metu pœnarum à Rege latarum, submiserunt, in suos relapsi fuerunt errores. Solus Philippus Repington cæteris fortior, & magìs scandalosus Prædicator Wiclefismi, qui, aut à DEO tactus, aut Episcopatûs Lincolniensis obtinendi, & paulò pòst impetrati gratiâ, verè conversus est, quantùm apparebat, Episcopúsq; factus, acerrimus in tota Anglia Wiclefistarum hostis evasit, omnémque suam authoritatem, ad eos exterminandos impendit. Cæteri ad Magistrum suum Wiclefum confugerunt, qui suos errores in Synodo Londinensi non retractavit, prout manifestè constat ex Actis ejusdem Concilij, quæ non viderunt illi, qui contrarium scripserunt. Latebat ille in sua solitudine Lurlevorti, dum discipuli ad defendẽdas ejus doctrinas excurrebant : latebat ibi constanter, usquedum specie quadam apoplexiæ post biennium, dum Concionem contra Sanctum Thomam Cantuariensem, festò ipsius, die vigesimo nono Decembris, pararet, die trigesimo primo exstinctus est, quo festum Sancti Sylvestri Papæ celebrabatur, contra quem sæpiùs declamabat, quòd Ecclesias dotari permiserit.

Walsing. c. 5.

Annus 1384.

Harpsfeld.

Walsingam. Harpsfeld.

Concil. Londin. Odoric. Rayn.

Walsingam. Harpsfeld.

Interea discipuli ejus totis laborabant conatibus, ut post mortem in suis scriptis revivisceret, quæ ubique operosè spargebant, suáque in

Henri. Knigl. de event. Angl. L. 5.

ejus

Annus 1384. *Histor. Univer. Paris. t. 4.*

ejus defensionem, cum novis erroribus addebant, idque tanta cum insolentia contra omnes Prælatorum prohibitiones agebant, ut ad eos reprimendos, Joannes Archi-Episcopus Cantuariensis, exemplum sui Antecessoris imitando, alium Cœtum Episcoporum, & Doctorum Londini esse congregandum judicaverit, ad errores antiquos & novos condemnandos, eorúmque defensores apertos & obstinatos Hæreticos declarandos. Rex Richardus, suâ Regiâ volens armare Ecclesiasticam authoritatem, suámque declarationem factam roborare, nec ullam ejus tolerare impunitam novis ausibus infractionem; cruentum in illos, & contra omnes, qui eorum scripta & libellos retinerent, condidit Edictum, quo exactissimâ inquisitione factâ, flammis omnia aboleri voluit; exinde Regnum totum brevi tempore ab hac peste fuit expurgatum.

Hapsfeld. c. 23.

Post hæc, Wiclefistæ comparere nunquam audebant in Anglia usque ad initium Regni Henrici V., ubi quodam Corriphæô extremè audaci repertô, novam contra statum Regni conspirationem instituerunt. Sed hic Princeps probè noverat prævenire atque obviare tanto malo, punitione primorum Capitum feliciter tandem hanc maledictam sectam integerrimè è suo Regno exterminavit, quam Nobilis quidam Bohemus, studiis operam navans in Universitate Oxoniensi, in suam Patriam, cum Libris Wiclefi deportavit, & qui libri terribilem illam, quam in decursu Historiæ istius visuri sumus, causârunt revolutionem. Tales effectus deplorandi fuerunt illius magni schismatis, quod locum præbuit novæ isti hæresi roborandæ, & bello aperto contra Ecclesiam accenso Papa Urbanus in Anglia quidem pro vero Pontifice agnitus est, sed necessarias vires illi opponere non valebat; quod sinè dubio sui Prædecessoris exemplô non omisisset, nisi eo tempore infeliciter occupatus fuisset Neapolitani Regni negotiis, ubi in persona illius ipsius, quem ibi Regem creaverat, potentem invênit hostem, bellúmque contra se gerentem, cum funesta illa calamitatum, quas referemus, catena.



HISTORIA
DE MAGNO
SCHISMATE OCCIDENTIS,
In Compendium Reducta.
Liber III.

Annus 1384. PAx anno superiore inter Urbanum VI. & Carolum Dyrrachij Neapoli conclusa, adeò infirmis nitebatur fundamentis; ut sperari nequiverit, eam fore solidam atque durabilem: cùm enim ex una parte coactio violenta, ex altera verò necessitas illam pepererint; ideò expectari aliud non poterat, quàm ut rumperetur, cùm primùm duo illa principia desinerent, & libertatem ambo contrahentes recuperarent. Urbanus Carolo absente viâ Neapoli evadendi repertâ, Noceram se recepit; Carolo vehementiùs propterea exacerbatô adversùs Urbanum, & acribus inter utrumque subsecutis collisionibus. (Niem. l. 1. c. 34. Hect. Pignat. Diar. M. S. ap. Raynal. c. 80.) Sed omnia tandem in ruinam extremam Urbani negotia præcipitavit conspiratio, quam Cardinalis Reatinus contexuit. Hic purpuratus, sive fuerit Bartholomæus Mezzavacca Bononiensis, ùt nonnulli recentiores asserunt, vel potiùs juxta contemporaneos scriptores, Petrus de Tartaris Abbas Montis Cassini, ante biennium ab Urbano missus erat cum Cardinali Veneto & Caracciolo ad novum Regem Carolum Dyrrachij, urgerent eum, ut Nepoti Pontificis possessionem conferret Ducatuum & Principatuum, quos promiserat. (Omphr. Ciacon. Abb. Mont. Cass. Niem Walsing. Ciacon.) Sed omnia contraria suadebat Regi Cardinalis contra Urbanum, cui neuter afficiebatur; imò nec ad Pontificem rediit cum reliquis duobus, sed Regi adhæsit. (Walsingam. in Rich. II.) Videns autem Romanos irritatos esse contra Urbanum, propter diuturnam ejus extra Romam in Regno Neapolitano commorationem, metuentes, nè Sanctam Sedem transferret Neapolim contra sua promissa, & multò magis Cardinales, quos magno cum fastu & rigore tractabat Noceræ, ubi jam intolerabilis eis fuerat propter multa incommoda illius commoratio; existimabat opportunam sibi adesse occasionem, Urbanum prout conceperat è Pontificatu, deponendi. (Niem. l. 1. c. 42.) In hunc finem, per quemdam Bartolinum Perusinum, hominem ingeniosum, & audacem, scribi curavit libellum, in quo, argumentis è Theologia & sacris Canonibus, petitis, Pontifici malè gubernanti, & cuncta, è sua pertinacia, sinè Cardinalium consilio cum periculo universalis Ecclesiæ, agenti, docet: constitui posse Curatores, qui ejus nomine expedirent negotia.

Scri-

Annus 1384.

Scriptum hoc occultè communicavit cum nonnullis Cardinalibus, Noceræ apud Pontificem degentibus. Gobelinus domesticus Urbani, Beneventi existens, asserebat, se audivisse, quòd Cardinales isti approbaverint, & exequi concluserint Cardinalis Reatini propositionem, de captivando in Arce Noceræ Pontifice, de Processu contra eum instituendo, & tanquam hæretico per subornatos testes, ad flammas condemnando; & quòd ista Cardinales, dum torquerentur, unô solô exceptô, confessi fuerint. Sed Theodorus de Niem, qui Noceræ degebat, & unus è Judicibus à Pontifice Deputatis erat ad examinandos Cardinales, nihil de his memorat, imò contrarium asserit, quòd nimirùm constanter suam asseveraverint innocentiam; solùmque Episcopum Aquilæ pariter accusatum, vique tormentorum adactum, quæcunque petebantur, confessum fuisse. De hoc proinde nihil certi habetur. Illud certius videtur, quòd Cardinalis Ursinus frater Comitis de Manupella, per quem Cardinalis Reatinus scriptô illô seditiosô disponebat alios contra Urbanum, conatus illos aperuerit.

Gobelin. de Cosmod. art. 6. c. 78.

Niem. l. 2. c. 42.

Pontifex hâc terribili conspiratione consternatus, cujus, Regem Neapolitanum & Margaritam Reginam ejus Conjugem, complices esse non ambigebat, in proximo Consistorio Mensis Januarij habito, sex Cardinales comprehendi jussit quos magis reos credebat; nempè Gentilem Sangri, Bartholomæum de Cocurna Genuensem, Ordinis Fratrum Minorum, Ludovicum Donatum Cardinalem Venetum ejusdem Ordinis, Adamum Cardinalem Londinensem, Benedictum Anglum, Joannem Archi-Episcopum Corcyræ, & Marinum de Judice Cardinalem Tarentinum cum Episcopo Aquilæ. Hos omnes catenis onustos, horrendo mancipavit carceri, adeò angusto, ut jacere nequiverint, & in locum eorum festô Epiphaniæ Domini, septemdecim creavit Cardinales, omnes fermè Germanos, vel Neapolitanos, ut & Neapoli suas haberet Creaturas, & Germanis placeret in sua perseverantibus obedientia. Ex his, tres Archi-Episcopos Electores elegit, Adolphum Moguntinum, Fridericum Coloniensem, & Cononem Trevirensem; Episcopos verò Arnoldum Leodiensem, & Wenceslaum Wratislaviensem, cum Petro de Rosemberg, Viro illustris in Bohemia conditionis. Isti autem, sive noluerint honorem, qui eis durante Schismate à contraria obedientia controverti poterat, sive in tantam litem, quæ totum dividebat Orbem Christianum, se immittere detrectarent, sive denique testari voluerint, se non alia duci ambitione, quàm ut suo munere, quod gerebant, ritè fungerentur; omnes sex unanimiter dignitatem Cardinalitiam, licèt non petentibus oblatam, non acceptaverunt. Neapolitani ùtùt proni ad eam amplectendam fuerint, nihilominùs Regem Carolum offendere metuentes, declarare se non audebant.

Annus 1385.

Gobel. in Cosmod. Hist. de 1. Car. Niem. Walsing in Rich. II.

Annus 1385.

Niem. c. 44.

Urbanus intereà, repetitis vicibus in equuleo captivos torqueri curabat Cardinales in præsentia sui Nepotis, qui in risum dissolutum erumpebat, dum illi miseri præ doloribus ejulabant, condolentibus alijs sex Commissarijs: & quamvis constanter protestarentur, se à tam immani, quod eis imponebatur, crimine immunes esse, & Commissarij cum lachrymis eum, ut à tortura cessaret, deprecarentur, nunquam tamen mitigari poterat, imò ferocior evadebat, & implacabilior erga pauperes illos & infelices, quorum plerique meriti erant singularis. Cardinalis Venetus Ludovicus Donatus, Vir ab ætate gravi, à stirpe Nobili, & rara virtute venerandus, inter acerbissima tormenta, quæ à matutino usque ad meridiem sustinebat, aliud non proferebat, quàm pulchra illa Sancti Petri verba: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*,

Idem. c. 51.

Id. c. 42. Walsingam.

Ibid. 1. Petr. 2. 21.

Annus 1385.

ut sequamini vestigia ejus. Cardinalis Londinensis, cui Rex Angliæ Galerum procuraverat, ut raram ejus doctrinam & pietatem honoraret, in tortura solùm fatebatur, se dixisse crebriùs, quòd Pontifex nimiùm esset superbus, & cum fastu intolerabili homines tractaret. Cardinalis Sangri nihil unquam inter asperrima tormenta sæpiùs repetita edicebat, nisi quòd agnosceret, manum DEI super se aggravatam esse, propter crudelitatem, ut placeret Urbano, in Episcopos, Abbates, & alios Ecclesiasticos Neapoli exercitam, qui exemplô Joannæ Reginæ, partibus Clementis adhærebant.

Blond. 2. Dec. Walsin. in Rich. II.

Niem. c. 51.

Post hæc Urbanus coram tota sua Curia convocata, & populo Noceræ congregato, post longam exaggerationem ingratitudinis Caroli Dyrrachij, & criminum sex Cardinalium, atque perfidiæ Cardinalis Reatini jam exauctorati, omnes istos cum Roberto Gebennensi, & suis Cardinalibus excommunicavit, dignitatibus omnibus exuit, Regem & Reginam, quos ad comparendum, & respondendum in suo Tribunali paulò antè citaverat, omni jure ad Regnum Neapolitanum privatos declaravit; & Urbem Neapolitanam cum toto suo territorio, Interdicto subjecit. Hæc postrema Urbani actio, bellum apertè indixit Carolo, qui etiam aperto Marte contra illum processit. Nam ut mala ulcisceretur captivis Cardinalibus irrogata, omnibus illis Ecclesiasticis, qui partes Urbani sequebantur, interceptis, crudelibus in eos repressalijs utebatur, eósque in equuleo, prout Cardinales illi torquebantur, horrendis excruciabat supplicijs: nonnullos etiam in mare jussit præcipitari, alijs in carcere detentis. Sub gravissimis pœnis etiam prohibuit, Interdictum observari, præcepitque Officia Divina ubique celebrari, plerisque Ecclesiasticis, paucissimis exceptis, & maximè Religiosis, quod valde notandum est, obtemperantibus; qui existimabant,

Walsin. in Rich. II. Gobelin. in Cosmod. Krantz. 10. Metrop. c. 18.

Niem. c. 49.

Quare quibusdam eo-

eâ occasione, Regi plùs deferendum esse, quàm Pontifici, ùt notat Gobellinus Urbani Officialis. Denique postquàm amarô jocô dixisset, se citatum, in persona compariturum, Exercitum suum ad viciniam Noceræ eduxit, Arcem, quam Nepos Urbani malè defendebat, unà cum Nepote intercepit, & in majorem despectum Pontificis, gubernationem Exercitûs Cardinali Reatino commisit, qui Noceram obsedit, & intrà breve tempus subegit, muróſque primos Castri expugnavit, intrà quos horti erant ad montis & Castri radicem, in cujus altis fenestris, Urbanus quotidie visebatur, & oppugnatores, ad sonum campanæ excommunicabat, cereúmque ad terrorem cæremoniæ exstinguebat.

Annus 1385.

rum, paucis tamen, inde recedentibus, multi & præcipuè Religiosi, Regi plus quàm Papæ, parebant. Gobell. Pers. in Cosmod. at. 6. c. 78. Blond. 2. Dec. l. 10. Niem. l. 1. c. 53. 54.

Intereà tamen debitas adhibere cautelas non omisit; metuens enim nè in manus Caroli incideret, qui tali casu, novum eligi Pontificem decreverat, & ità novum Schisma prævidebat, cum Republica Genuensi, & nonnullis Civitatibus Ecclesiasticæ ditionis ei oppignoratis, secretò egit, & decem Triremes obtinuit; simul etiam cum Raymundo Ursino filio Comitis Nolani & cum Thoma à Sancto Severino, qui partium erant Andegavensium, & maximi hostes Caroli, pro succursu terrestri, negotiabatur.

Pigna. Diar. M. S. apud Raynald.

Niem. c. 55.

Idem c. 53. Idem c. 44. 50. 54.

Isti congregatis Andegavensibus, & nonnullis Germanicis copijs, quibus præerant, pulcherrimum ausi sunt facinus. Nam superatis aliquot propugnaculis, in Arcem intrârunt, & Urbanum eduxerunt, qui tamen suos captivos Cardinales secum trahere non omisit; & superatis multis difficultatibus, ad modicum Apuliæ Portum inter Barlettam & Tranium pervenit, ubi Triremes Genuenses Pontificem expectabant. Ità miro fortunæ lusu, totam salutem suam Urbanus debebat Clementinis, quos toties tanquam Schismaticos omni commercio cum illis rescisso, excommunicavit. Urbanus, cum sex captivis Cardinalibus fa-

Gobelin. de Cosmod. at. 6. Pignat. M. S. ap Raynal. Niem. Krantz. Summont. & alij.

Annus 1385. fame atque innumeris ærumnis in carcere sex mensium obrutis, & jam semimortuis naves conscendit: & dicebatur, quòd Episcopum Aquilæ inhumaniter in itinere jugulari curaverit, existimans pauperem hunc Prælatum fugam meditari, dum vi tormentorum fractus, equo pessimo impositus, iter prosequi non valebat. Sed cùm solus Theodorus Niem hanc barbaram actionem referat, alijs Historicis de illa nihil memorantibus; liberum est Lectori, quod placet credere. Illud certius est, quòd Urbanus Genuam appulsus, ibíque unô fermè annô commoratus, precibus Reipublicæ flecti non potuerit, ad remissionem miseris Cardinalibus impertiendam, quos semper in catenis veluti feras belluas tenebat, licèt nonnisi extremum vitæ halitum retinerent: Soli
Annus 1386. Cardinali Londinensi Adamo Eston vitam & libertatem donavit ad cau-
Niem. c. 57. tionem cujusdam Cameræ suæ Clerici, & ad repetitam sæpiùs instantiam Regis Angliæ, cui gratiam istam denegare verebatur, nè alioqui Rex offensus ejus obedientiam desereret. Quoad reliquos, cùm ex una parte nunquam eos dimittere statuisset; ex altera verò valde incommodum
Berrin. segn. L. 4. Blond. 2. Dec. Platin. Naucler. Gen. 47. & alij. esset, illos in catenis secum semper trahere; paulò ante abitum Genuâ Mense Decembri omnes miserè vitam, nescitur quô genere mortis, finiverunt; nec unquam resciri potuit, quónam eorum corpora devenerint.

Dum Papa Urbanus è manibus Regis Caroli elapsus, Genuæ securus degeret; ambitio & perfidia hujus Principis, qui Pontificem tam malè tractabat, funesta morte vindicata fuit, post mala omnia, quæ pro bonis acceptis reddiderat ipsei, ad Thronum Neapolitanum elevatus. Ludovicus Hungariæ Rex ante triennium vitâ functus Regni hæredem reliquit natu majorem filiam Principissam Mariam, Principi Sigismundo Caroli IV. filio & Imperatoris Wenceslai Bohemiæ Regis Fratri desponsatam. Quidam Regni Proceres Carolum Dyrrachij ad Coronam capessendam invitabant, quam ille Zagrabiæ, invita Regina Matre, sub cujus tutela erat Principissa Maria Regni Hæres, solemni ritu suscepit, Regnum occupaturus, sperans Reginam Matrem speciosis protestationibus, quas ei exhibebat, se circumventurum. Sed senem Reginam reperit astutiorem, quæ illum spe data, quasi Sigismundus Princeps, qui Budæ Mariam Principissam in Conjugem acceperat, Regnum illi cessurus esset; ad se attraxit, & in cubiculum intimum induxit: ibi, dum illi, qui Carolum comitabantur, in anterioribus essent cubiculis; Nicolaus Garo, qui negotia Regni gerebat, derepentè per portam secretam intravit, Carolum per robustum Hungarum, nomine Forgats, impacto in caput acinace trucidari curavit. Atque ità perijt, anno ætatis quadragesimo primo, Carolus Dux Dyrrachij Prin- Niem. L. 1. c. 49.
ceps brevis staturæ, rufus, & pulcher aspectu, nec non loquela & incessu placidus, Poëtis & Historijs liberaliter instructus, bellicosus, magnanimus, & robustus, qui sinè dubitatione magis gloriosis Principibus accenseri potuisset, nisi has præclaras dotes inhonorâsset, ambitione insatiabili, crudelitate, & enormi ingratitudine atque perfidia in suos maximos Benefactores, præsertim in Joannam Reginam, quam cùm locò Matris diligere ac venerari debuisset, eam nihilominùs barbarè strangulari curavit.

Post mortem Caroli, juvenis Ludovicus II. Andegavensis, Rex Neapolitanus & Clemens in Regno Neapolitano verus Pontifex agnitus fuit; Annus 1387. Niem. c. 62.
frustrà obnitente contra utrûque, atque indulgentias promulgante Urbano. Præter Regnum Neapolitanum accesserunt etiam duo alia Regna, quæ obedientiam ejus auxerunt, Arragoniæ videlicet atque Navarræ: Auth. Vit. Clemen.
atque ità Hispania universa, exceptâ Lusitaniâ, pro illo se declaravit;

Annus 1387.

ac demum etiam Magnus Magister Equitum Rhodiorum: quod sinè dubio magnum pondus additit augmento obedientiæ Clementis. Sed plurimùm etiam profuêre, maximè in animis populi, grandia miracula, quæ DEUS hoc ipso anno ad illustrandam sublimen sanctitatem Beati Petri Luxemburgensis operatus est.

Hist. Geneal. Dom. Gall, tom. 2. L. 30. c. 7.

Erat hic Beatus, filius Guidonis Luxemburgici Primi Comitis de Ligny & Mahutæ Castilionis Comitissæ Sancti Pauli, descendens è stirpe quatuor Imperatorum, affinis in quarto gradu Wenceslai eo tempore Imperatoris, & Regis Bohemiæ, atque Sigismundi Regis Hungariæ postea Imperatoris. Postquàm sua studia Philosophiæ & Sacrorum Canonum in Universitate Parisiensi absolvisset; Frater ejus Valerianus de Luxemburgo, Comes de Ligny & Sancti Pauli, videns illum resolutum ad serviendum Ecclesiæ, Canonicatum in magna illa Urbe illi procuravit, ubi tantam sibi comparavit sanctitatis existimationem, ut Clemens, quem ille pro vero agnoscebat Pontifice, postquàm aliquot mensibus in gradu Archi-Diaconi Ecclesiæ Carnutensis illum exercendum judicâsset; eum omninò Metensem Episcopum, sede illa tamen vacante, esse voluerit, licèt nonnisi annos quindecim ætatis habuerit: adeò Clemens persuasus erat, de sapientia ipsius, doctrina, & virtute ætatem juvenilem superante ut viros consummatæ senectutis adolescens iste æquaverit. Ecclesiam sibi comissam ità gubernavit, ut Pontifex, famâ publicâ sanctitatis & meriti ejus permotus, eum apud se Avenione habere voluerit, eúmque Cardinalem creaverit: Sed anno sequenti ex longo morbo à magna causato austeritate, anno ætatis decimo octavo ex hac vita decessit, postquàm hanc sublimem dignitatem plurimis omnigenæ virtutis actionibus heroicis, cum admirabili magnorum Sanctorum perfectione illustrâsset.

Auth. Vit. Clemen. Molen. in Catal. S. Bel. Ciacon. & alii.

Mox ab ejus obitu, tot & tanta patrata fuêre miracula, adeò luculenta & insolita, atque indubitata ad ejus tumulum, ut populi ex Europa fermè universa ad eum concurrerint; quod partes Clementis summopere roboravit, quia tanto splendore miraculorum perculsi, credere poterant, quòd Sanctus, qui tam mirabilia post mortem patravit, plenè à DEO illuminatus fuerit in vita, ut verum à falso discerneret, & Galerum Cardinalitium non acceptâsset è manibus illius, quem non certò putâsset verum esse Pontificem. Illi ipsi, qui in obedientia erant Urbani, testes oculati hujusmodi miraculorum, sensu aliquo Religionis tacti, existimabant speciem quandam in hunc Sanctum impietatis esse, in quæstionem vocare dignitatem ejus Cardinalitiam, & consequenter controvertere verum Clementis Pontificatum. Annus 1387.

Sic etiam permulti Clementinæ obedientiæ devoti, longè magis quàm antehac securi & firmati, audenter asserebant, hæc omnia miracula, ipsius DEI testimonia esse authentica, quibus indicare voluerit, obedientiam, quam Sanctus ille Cardinalis elegerat, & in qua suam vitam sanctè finivit admirabilis iste Prælatus, veram atque legitimam esse. Attamen certum est, perperam illos ratiocinatos fuisse, non observantes, fieri posse, quòd Sanctus aliquis, bona fide procedens, ùt alij homines, falli possit, præsertim in factis, in quorum perplexa controversia, difficillimum est verum à falso discernere; & quòd prophetiæ donum, atque discerniculum, quô DEUS quandóque suos honorat servos, non semper sit fixa & stabilis gratia, ad dignoscendam semper infallibilem veritatem; sed lumen duntaxat transiens, eos in quibusdam certis occasionibus illustrans, & in alijs circumstantijs deserens, & luci naturali relinquens, dum via naturali assequi possunt veritatem.

Hac

Annus 1387.

S. Anton. p. 3. tit. 22. c. 2.

☞ Hac de causa, attentis etiam, ùt verosimile est, miraculis Beati Petri Luxenburgici, illud postea dicere volebat Sanctus Antoninus Archi-Episcopus Florentinus, de hoc schismate, quod Historiæ isti perquàm utiliter inseri potest: *Multa disputationes facta sunt circa istam materiam, multi libelli editi pro utriusque partis defensione. Peritissimos Viros in Sacra Pagina & Jure Canonico habuit toto tempore illo, quo duravit schisma, utraque pars seu obedientia; ac etiam Religiosissimos Viros; & (quod majus est) etiam miraculis fulgentes, nec unquam sic potuit quæstio illa decidi, quin semper remaneret apud plurimos dubia. Nam etsi necessarium sit credere, sicut unam esse Catholicam Ecclesiam, non plures: ità & unicum ejus Pastorem Vicarium Christi juxta illud: Fiet unum Ovile & unus Pastor: tamen si contingit plures per schisma creari seu nominari Pontifices summos uno & eodem tempore; non videtur saluti necessarium, credere istum esse vel illum, sed alterum eorum, qui scilicèt fuerit Canonicè assumptus. Quis autem fuerit canonicè electus, non tenetur quis scire, sicut nec Jus Canonicum: sed in hoc populi sequi possunt majores suos seu Prælatos.* Hæc autem intelligenda sunt pro tempore, quando est dubitandi locus, & Ecclesia nihil de hujusmodi controversia definivit. Et hoc solum sufficere potest, ad improbandos scriptores illos, qui tanquam schismaticos tractare ausi fuerunt, alterutri obedientiæ adhærentes, priusquàm authoritate Ecclesiæ schisma, creatione novi Pontificis, ab omnibus Christianis agnoscendo, efficaciter exstinctum fuisset. Ante hanc decisionem, liberum erat, alterutrum sequi: & quemadmodùm è sanctitate Urbanistarum inferri non potest verum fuisse Pontificem, Urbanum; ità pariter concludi nequit talem fuisse Clementem ex miraculis Beati Cardinalis Luxenburgici, quamvis Ecclesia Romana illum tandem post longum tempus ab exstincto schismate, Catalogo Beatorum adscripserit. Nihilominus fatendum est, quòd tametsi miracula illa non fuerint sufficiens probatio juris Clementis, valde tamen ei profuerunt in animis populorum, sicut etiam celebris illa sententia, eodem tempore, ad instantiam Universitatis Parisiensis à Clemente pronuntiata pro Immaculata Conceptione Sanctissimæ Virginis eâ, quam subdimus occasione.

Joann. 10.

Bull. Clem. VII. Medica. 9. Kal. Apr. 1527.

Annus 1387.

Ex M. S. Navar. t. 4. Hist. Univer. Paris. Mon. Dionys. l. 7. c. 5. & l. 8. c. 2. Auth. Vit. Clem. Spond. ad hunc ann. Append. ad Auth. Vit. Clem. Mon. Dionys. l. 8. c. 14. Hist. Univ. Paris. tom. 4.

Joannes Mouson Doctor & Professor Theologiæ ex Ordine Sancti Dominici, in aula Sancti Thomæ, publicè proposuit Theses, in quibus quatuordecim periculosissimæ continebantur propositiones; inter quas erant quatuor vel quinque adversùs Immaculatam Sanctissimæ Virginis Conceptionem. Defendebat enim, quòd non solùm in peccato Originali concepta fuerit; verùm etiam, dicere contrarium, errorem esse contra Fidem. Idem nonnulli Confratres illius tum Parisiis tum alibi prædicabant, & alia quædam honori Sanctissimæ Virginis adversa: quæ sinè magno scandalo totius Urbis fieri non poterant, præsertim in Universitate, quæ semper pro gloria Matris DEI zelabat. Sed cùm Decanus Facultatis, ad quem pro scandalo reprimendo recurrebatur, toti Facultati propositiones illas retulisset, tacito Authoris nomine, qui aderat; iste non tantùm illas non retractavit, aut se excusavit, sed etiam palàm asseruit, se nihil hac in causa egisse nisi de consensu & jussu primariorum suæ Religionis Virorum; se proinde in hac sententia usque ad mortem perseveraturum. Cùm igitur in sua persisteret obstinatione, primò tota Facultas, dein etiam tota Universitas in corpore, Theses illas Censurâ notavit, & tanquã falsas, temerarias, scandalosas, & pietati Fidelium contrarias, condemnavit.

Ex M. S. Coll. Navar. tom. 4. Hist. Univ. Paris.

Episcopus Parisiensis Petrus de Orgemont, ad quem Universitas, tanquam ad Judicem Doctrinæ in sua Diœcesi recurrerat, post imploratam Spiritûs Sancti assistentiam, &

Mon. Dionys.

Pro-

Annus 1387. Processionem generalem institutam, denuò examinari curavit exactissimè, dictas propositiones, & Censurâ illis inustam confirmavit, easque per sententiā judicialem solemniter condemnavit, quam ipse cum Cæremonia, Pontificaliter indutus, in Propylæo Ecclesiæ Beatissimæ Virginis, præsente innumera populi undique ad hoc spectaculum veluti ad triumphum Sanctissimæ Virginis accurrentis multitudine, pronuntiavit. Joannes Monsonus, sui prævidens condemnationem, ad Curiam Avenionensem se recepit, ubi Ordo Sancti Dominici in magna erat existimatione, atque à sententia illa ad Pontificem appellavit, & cum cæteris suis Confratribus protestabatur, tangi hac in causa doctrinam Sancti Thomæ, quam Ecclesia approbavit, eámque nec Universitas, nec Episcopus Parisiensis damnare potuerit. *Hist. Univ Paris. t. 4.* Desuper Universitas, quamvis non sinè admiratione, quòd ad querelam privati hominis, qui plurimas spargebat falsitates, ad Curiam Pontificiam citaretur, quatuor celeberrimos deputavit Doctores, Petrum de Aily Magnum Magistrum Navarræ, postea Episcopum Cameracensem, Ægidium de Champs, Joannem de Neuville Bernardinum, & Petrum de Alainville Doctorem & Professorem Canonum; simul etiam literas circulares edidit, ad omnes Fideles pro sua justificatione, contra Dominicanos, qui abutentes doctrina & nomine Sancti Thomæ, quam isti damnari asserebant, eique pro suo libitu talia attribuebant, de quibus Sanctus Doctor nunquam cogitabat. *Mon. Dionys.* Quatuor Deputati, cum omni honore in Curia Pontificis recepti, primò privatum habuêre alloquium, postmodùm verò tribus diebus in pleno Consistorio, ubi adeò nervosè ac solidè perorabant, Censuram suam & sententiam Episcopi Parisiensis defendentes, ut magnam totius hujus Augusti Cardinalium Cœtûs, sibi admirationem, & Pontificis grandia elogia, Universitati facta, quæ tantos Viros producebat, comparaverint. Annus 1387.

Annus 1388. Denique postquam Joannes de Monson, quæcunque volebat, protulisset, tam viva voce in pleno Consistorio, quàm scriptis pro sua defensione distributis; & Deputati, maximè autem Eruditus Petrus de Aily eum in Disputatione atque Tractatu edito confudissent, in quo clarè ostendebant, inter alia, doctrinam damnatam, nullatenus esse Divi Thomæ, qui nihil minùs, quàm quod Monsonus volebat, docuit: Pontifex post causam diligenter adhuc integro ferme anno, diversis vicibus, in sua præsentia examinatam, sententiam Episcopi Parisiensis & Censuram Universitatis confirmavit, atque ad eam Joannem de Monson remisit, cum mandato, ut se illius Correctioni penitus submitteret. Promisit omnia, ut carcerem Pontificis evaderet: sed nocte insequente profugit, & in Arragoniam, Patriam suam migravit. Deputati velut in triumpho Parisios redierunt, & cum festivis acclamationibus ab omnibus Urbis Ordinibus, excepti fuerunt, quòd tam strenuè gloriam Sanctissimæ Virginis defenderint. Quia verò Dominicani, potenti fulcro se niti credentes, & plurimum confidentes in Confratre suo Guilielmo de Valen Episcopo Ebroicensi & Confessario Regis; propositiones jam ter damnatas defendere adhuc non desinebant; ideo terribilis in eos tempestas insurrexit. *Mon. Dionys.* *M. S. Navarr. ex t. 4. Hist. Univ. Paris.* *Mon. Dionys. Hist. Univer. Paris.*

Nam Universitas omnes illos à suo rescidit corpore: Episcopus Parisiensis omnibus Prædicationes & Confessionum auditiones interdixit; complures conjiciebantur in carceres, nullæ illis conferebantur eleemosynæ: qui ex Conventu suo egrediebantur, à populo impetebantur, & convitiis palàm in plateis, tanquam hostes manifesti Sanctissimæ Virginis obruebantur. Prætera: Pontifex intelectâ fugâ Joannis de Monson, & pertinacia ei adhærentium, editâ Bullâ, quam Avenione Pari- *Anth. Vit. Clem. Append. ad Anth. Hist. Univer.* *Mon. Dionys. l. 8. c. 14.*

Annus 1388. Parisios miserat, in Gallia promulgandam, omnes excommunicavit. Ferrus Cassinel Episcopus Antisiodorensis ad eam Regi præsentandam, & ejus executionem prosequendam fuit electus: quod tanto cum Zelo & fortitudine utpote celeber Doctor Parisiensis præstitit, ut Rex mandaverit, non solùm promulgari Bullam, verùm etiam, incarcerari omnes, qui aut loquerentur, aut scriberent contra Immaculatam Matris DEI Conceptionem, & Parisios ad Correctionem Universitatis subeundam transmitterentur. Denique tempestas hæc non desiit priùs, quàm Dominicani publicè doctrinam suã revocassent, ac promisissent, se Festum Immaculatæ Conceptionis celebraturos, nec deinceps quidquam contra illam dicturos, quod hodiedũ, magna cum ædificatione observant.

Auth. Vit. Clem.

Illud etiam fortius in causa ista fuerat, quòd Universitas, tolerare non valens, ab Episcopo Ebroicensi, Dominicano, & Regis Confessario, victoriam Universitatis contemni, & jactari, se doctrinam Joannis Monsoni semper defensurum; adeò fortiter apud Regem Moderatores Universitatis egerunt, ut hic Prælatus ad suam retractationem coactus fuerit, & actu publico, uti fecit, coram Rege, Principibus, Magnatibus Curiæ, Consiliariis, & Rectore Universitatis cum Deputatis quatuor Facultatum, doctrinam suam condemnaverit: & non obstante hac Palinodia, Rex cum à suis removit obsequiis, & Ordo Sancti Dominici nonnisi post complures annos in Universitate receptus est. Tam solida devotio, quam eo tempore universa profitebatur Gallia erga Immaculatam Sanctissimæ Virginis Conceptionem, adeò profundas egit radices, in tota Christianitate, ut contremiscere debuerint profanæ atque inquietæ mentes, quæ illam postea impugnare audebant, infirmis & scandalosis libellis, qui nonnisi flammis digni, jure ubique rejecti fuerunt.

Episc. Ebroic. Palinod Hist. Univer. c. 40.

Annus 1388. De cætero, condemnatio ista non parum Clementi Pontifici profuit, ad alliciendos novos subditos, & antiquos in sua obedientia conservandos: cui etiam lætitia non levis accessit, dum Parisienses Doctores perbenignè tractaret, quòd etiam Bononienses ad ejus venerint obedientiam, postquàm authenticè ab Urbano recessissent, quem hactenus agnoscebant: quâ secessione Italia, ubi Universitas Bononiensis eo tempore floruerat, magnopere commota fuit. Magnum quoque splendor partibus Clementis addebatur, quòd Rex Christianissimus Carolus, Pontificem Avenione, id maximè optantem, Octobri Mense inviserit; quem Clemens cum ea, quæ tanto Regi debebatur, magnificentia excepit; & Rex officia reciproca, more Majorum suorum tanquam JESU Christi Vicario in Terris exhibuit; qui etiam Pontifici Festo Sanctorum Omnium in Missa Pontificali; manibus aquam affudit, qua durante Ludovicus II. Rex Trinacriæ, seu Neapolis & Siciliæ, atque Jerosolymæ coronatus est. Carolus quatuor dierum spatio negotia Ecclesiæ tum privatim tum publicè in Consistorio tractavit, ad magnam Clementis satisfactionem: qui ei vicissim, gratitudinis ergò potestatem fecit, nonnullos Episcopatus, liberæ collationi Pontificis reservatos, & permulta Beneficia pro arbitrio Regis conferendi, in favorem pauperis Cleri, & maximè illorum, qui membra erant Universitatis, & abusu Expectativarum excludebantur: quibus absolutis, Carolus ad visitandam Occitaniam discessit, eo ferme tempore, quo nuntium de obitu Urbani Pontificis afferebatur.

Monach. Dionys. l. 8. c. 3.

Annus 1389. Monach. Dionys. l. 9. c. 67. Froissard. t. 3. Joann. Juvenal. Auth. Vit. Clem. & alij.

Hic Pontifex Genuâ discendens, satis diu Lucæ & Pisis commoratus, Româ à dextris relictâ versùs Tibur proficiscebatur, & Ferentinum ad Confinia Neapolitana pervenit, semper cogitationes de Regno illo occupando, durantibus illis dissensionibus circumferens. Sed remetiri coge-

Annus 1389. Ciacon., Niem. c. 69. Walsingam. Platin. Summont.

cogebatur iter, & Romam reverti, sive invitus, à Romanis, tam diuturnæ ejus absentiæ pertæsis, reductus, prout aliqui asserebant; sive ab Andegavensibus præpeditus, sive denique deficientibus mediis ad solvenda stipendia suis copiis, quæ illum deserebant. Quacunque de causa, Octobri Mense Romam rediit: ubi transactis pacificè, ùt nunquam aliàs, residuis vitæ diebus, eodem anno, circa dimidium ejusdem Mensis obiit, seu seniô annorum septuaginta duorum, laboribus consumptus, & violentia ex tot permolestis, quibus agitabatur motibus; seu vehementiâ veneni, ab aliquo domesticorum, ùt dicebatur propinati, quibus, sicut multis aliis, fuerat exosus. Certum enim est, quòd mors ejus lætitiam plurimis, & paucissimis mœrorem causaverit, ob terribilem & odiosissimam ejus indolem; quamvìs etiam negari non possit eum multis bonis dotibus præditum fuisse. Elucebat in eo magnus Gastitatis amor, cum vita valde austera, & horrore summo luxûs & Simoniæ, quam ex Romana Curia tum exemplô suô, tum exactâ justitiâ profligavit. Indignus & belluinus Nepos ejus tantorum malorum causa, quem cæca passione Patruus elevare usque ad thronum conabatur, post aliquod tempus in manus hostium suorum incidit, à quibus libertatem suam amissione bonorum omnium redimere coactus est; & justitia Divina eum persequente, in fluctibus maris Adriatici miserè interiit, cum Matre sua, Uxore, & prolibus, dum Venetias ad quærendum azilum navigaret. Sic tota Urbani Prosapia, quam hic Pontifex, in sublime hujus mundi fastigium elevare nitebatur, in abyssum delapsa, miserandô naufragiô penitus exstincta fuit, aliud posteritati nihil relinquens, præter exemplum Prælatis omnibus, quòd magis de stabiliendo Ecclesiæ, quæ Domus DEI est, quàm suæ propriæ statu satagere debeant.

Ciacon.

Obitus Urbani, pulcherrimam schismatis penitus exstinguendi præbuit occasionem: quòd sinè ulla fieri poterat difficultate, si Cardinales Romani cum Clementis conjungere se voluissent, & omnes unanimiter Clementem agnoscere, specie quadam novæ electionis, quo pacto omnis dubitatio de vero Pontifice sublata fuisset. Avenionenses idcirco supplicabant Regi Galliæ, sua apud Principes, obedientiæ Urbani addictos, interponeret officia, ut novam suorum Cardinalium impedirent electionem. Sed nihil ista profuêre. Nam quatuordecim Cardinales Romæ degentes, & multi eorum ad Pontificatum aspirantes; alij verò novum Pontificem obnoxium sibi habere cupientes, ad eum creandum festinarunt, priusquam cum illis tractari potuerit, pro electione avertenda; & die secundo Novembris Perinum Thomacellum Cardinalem Sanctæ Anastasiæ elegerunt, qui nomen Bonifacii IX. assumpsit. Erat is Neapolitanus bonæ prosapiæ, sed admodùm pauperis, annorum circiter quadraginta, bene formatus, staturæ proceræ, decorus aspectu, mitis, affabilis, officiosus, & indolis Prædecessori suo planè dissimilis. De reliquo Præclarus Vir, & boni intellectûs; defectum sublimium scientiarum supplebat industriâ & prudentiâ suâ; qui brevi tempore talia effecit, qualia Prædecessores eô doctiores, præstare non poterant. Modum quippe invênit, quo potentiam & authoritatem ferme supremam Branderesiorum & Senatoris Romæ compressit, omnia in suam potestatem reduxit, factus tandem absolutus Romæ & omnium Ecclesiæ Ditionum Dominus, prout hodiedum sunt Pontifices. Quidquid de illo dicat, Theodorus de Niem, qui etiam illi serviebat à secretis, sempérque infestus apparebat; aliud ei objicere non valet, nisi quòd in suam Curiâ revocaverit, ac dissimulaverit Simoniam, commerciô Beneficiorum & rerum sacrarum, ad satiandam

Annus 1389. De Puy. Tract. de schismat. Ciacon. Onuphr. Gobell. in Cosmod. Platin. Boninseng. l. 4.

Annus 1389. dam avaritiam suæ Matris, & fratrum, magis quàm propriam.

Antonin & alij. Postquam duo isti Concurrentes, stylô schismatis ordinario, se invicem fulminassent maledictionibus & anathematibus; Bonifacius, ut ex parte sua etiam Regem Neapolitanum, exemplô Clementis, institueret; omnia Acta Urbani contra Carolum Dyrrachij & filium ejus Wenceslaum seu Ladislaum, abrogavit atque irrita abolevit, & anno sequenti Gaietæ Mense Majo, Principem Ladislaum à Cardinali Florentino, quem ad hunc finem miserat Legatũ, coronari curavit. Is Partes suas instaurare cœpit, accedentibus nonnullis Regni Magnatibus, post Ducem Brunsvicensem, & Thomam Sancti Severini, offensis, quòd Ludovicus Andegavensis, ipsis præteritis, Proregem Neapolim miserit, Comitem de Montjoye Clementis Nepotem: Ludovicus II. Andegavensis Neapolim veniens, Urbem cum omnibus Arcibus favente populo, sinè bello occupavit; sed inde paulò pòst abiens in Provinciam, Vrbem & Regnum totum amisit, Ladislao cuncta bello expugnante: atque ità Clemens Regnum Neapolitanum, quod jam quarta vice mutavit obedientiam, iterum amisit.

Annus 1390. Ciacon. Anotonin. Sammont.

Sed magis ei sensibile fuit, quòd Universitas Parisiensis eo ipso tempore laboraverit, ad eum inducendum æquè ac Bonifacium, pro pace Ecclesiæ, vijs efficacibus procuranda, quæ neutri aridebant. Hic certè dici potest, quòd famosa illa Universitas immortalem promerita sit gloriam; tanto cum Zelo, fortitudine atque constantia, ad grande illud opus, reuniendi partes omnes Christianitatis sub uno capite, operam & conatus suos adhibendo; ità ut dici possit eam fuisse primam & principalem causam, schismatis aboliti, quo Christiani summo cum scandalo & cum horrendis perturbationibus inde puovenientibus, dividebantur. Bonifacius & Clemens satagebant

Mon. Dionys. l. 10. c. 9.

Annus 1390. unicè, ut se in Pontificatu potentiis temporalibus innixi, conservarent, & se invicem suis Bullis & inimicis conquisitis, undique impugnarent: & quamvis uterque pacis & unionis Ecclesiæ desiderium, honoris gratiâ, præsefere videretur; reipsa tamen illam neuter volebat, nisi eversione atque ruinâ sui Rivalis. Bonifacius egit, quidquid potuit, pro impedienda pace, quæ tractabatur, inter Galliam & Angliam, nisi ea cum conditione Clementis deserendi concluderetur. Clemens ex parte sua idem procurabat; nè videlicet concordia Regum istorum, suis commodis officeret; utque sibi de majori provideret in futurum securitate, omnes illos, quibus Beneficia præsertim Episcopatus conferebat, adegit, ut se juramento obstringerent, quod nunquam alium, præter se agnoscere velint Pontificem. Idcircò Universitas videns, hoc verum esse medium schismatis perpetuò duraturi, ex altera verò Prælatos Galliæ, metu & spe, veluti lethargo spirituali percussos, cohiberi, & sinè motu ac loquela, in tanto Domûs DEI incendio hærere; ideo totis viribus clamare statuit, suis prædicationibus, & crebris apud Regem demonstrationibus. In una earum, Doctor quidam nomine aliorum adeò nervosè, & simul patheticè, de necessitate unionis, de calamitatibus è schismate prognatis, de obligatione Regum atque Principum ad procuranda remedia, perorabat, ut plerique assistentes, ad pedes Regis prostrati, manibus elevatis eum obtestati fuerint, ut authoritatem suam ad procurandam hanc Ecclesiæ unionem interponeret. Sed quia hic Princeps valde afficiebatur Clementi post conferentiam Avenione cum eo habitam; & hic Pontifex illos, qui Regem gubernabant, omnésque Curiæ Dominos, quibus nihil Rex negabat, sibi devinxerat; ideo Universitas frustrà semper laborabat; usque dum illi DEUS occasionem præbuisset prosperi successus, actione

Annus 1391. Walsing in Rich. II. Tract. de Puy. De Puy. Monach Dionys. l. 10. c. 9. l. 11. c. 9.

Annus 1391.

Jo. Juvenal. Mon. Dionys. ibid.

ne pulchra, quàm cuidam Religioso Carthusiano inspiravit.

Hic Sanctus Ordo, qui maximè sanctitate ab annis trecentis & ampliùs florebat in Ecclesia, & in primævo spiritu semper, uti hodiedum, se conservavit, etiam in hoc schismate involvebatur, & Religiosi ejus æquè ac alij Christiani, in duas differentes dividebantur obedientias. Verùm est, quòd initio schismatis Capitulum Generale anno millesimo trecentesimo septuagesimô nono in Magna Carthusia celebratum fuerit, in quo Generalis Guilielmus Raynaldus, præcepit omnibus per totum orbem Carthusianis, ut Clementem VII. pro vero Pontifice agnoscerent. Sed Urbanus, qui unam saltèm Sancti Ordinis partem in sua habere voluit obedientia, Visitatorem totius Ordinis constituit cum absoluta potestate, Joannem de Bar Priorem Carthusiæ Sancti Bartholomæi in Agro Romano sitæ. Imò declarari jussit, in duobus Capitulis Romæ habitis, schismaticum esse Guilielmum Raynaldum, quem postea Bonifacius deposuerat, & in locum Generalis totius Ordinis, constituit Visitatorem Joannem de Bar, post cujus mortem anno millesimo trecentesimo nonagasimo primo, Itali Christophorum in Generalem elegerunt, qui deinde nomen Prioris magnæ Carthusiæ assumpsit, quávis talis Prior, fuerit Reynaldus, ibique suo munere Generalis fungeretur. Atque ità schisma in hunc Ordinem, qui, duos simul habebat Generales, intravit.

M. S. Carth. communi. à D. Alex. le. Tellier. Priori. Carthus. Rhotom.

Hic bonus Carthusianus, de quo agimus, nomine Petrus, Prior Carthusiæ Astensis, & Magnus DEI servus tantam perturbationem tolerare non valens, associato sibi Bartholomæo de Ravenna, mentis ejusdem, ad Pontificem Bonifacium profectus est, cui ponderosis rationum momentis persuasit, ut ad Regem Christianissimum recurreret, pro hac Ecclesiæ pace procuranda. Et sive Bonifacius, argumentis hujus Sancti Viri Spiritu DEI animati permotus, sive, quòd solummodo, ut è sequelis conjectari potest, speciem quandam æquitatis pro parte sua ostendere voluerit, & Rivalem suum reddere odiosum; pulcherrimas ad Regem dedit literas, quibus eum hortabatur, ut se impenderet efficaciter exemplô Majorum suorum ad procurandam Ecclesiæ pacem, promittendo ex parte sua, omnia se præstiturum, & ad hunc finem commoda sua toto corde sacrificaturum. Cum his literis mittere volebat, insignem Juris Consultum ad jura sua defendenda: sed bonus Carthusianus, probè videns, Clementem idem facturum, & negotium in litem delapsurum, id Bonifacio dissuasit. Se ipsum ad eas deferendas cum socio suo obtulit, atque Avenionem venit ad Clementem, qui tantopere urgeri nolens, ambos detinuit captivos. Hoc sinè magno strepitu fieri haud poterat, Carthusianis palàm protestantibus, se portitores esse Brevis Pontificis Bonifacij ad Regem Christianissimum pro Ecclesiæ pace, quæ in utraque obedientia summopere desiderabatur. Tum Universitas, quæ nullam ad tam nobilem finem, negliebat agendi occasionem, hanc præsentem arripuit, quam valde opportunam existimabat, ad sua generosa cœpta consummanda. Rursus apud Regem adeò potenter institit, argumentis ab utilitate & honore Regis petitis, ut hic juvenis Princeps, gloriæ cupidus, & suæ authoritatis tuendæ studiosissimus, terminis urgentissimis ad Clementē scripserit; se tolerare non posse jura gentium violari, detentione illorum, qui ad se mittebantur.

Annus 1391.

Mon. Dionys. l. 12. c. 7. Hist. Univ. t. 4. Spicileg. t. 6.

Clemens igitur, Regem, à quo ejus pendebat fortuna, offendere non ausus, Carthusianos dimittere coactus est: dumque aliud non posset, ut aliqua ratione honorem salvaret, ostendebat se ex parte sua omnia quæ exspectari pro tam bono fine ac desiderari possent, præstiturum, & non solùm dignitatem suam,

ve-

Annus 1391. verùm etiam vitam ipsam sacrificaturum. Sed dum hæc agerentur, funesta infirmitas Regem obruit, ex qua Galliæ mala plurima evenerunt; jamque moriturus credebatur, toto biduo sensu omni destitutus. At tertio die ad se rediens, sensim convalescebat; ità ut Carthusiani circa Festa Natalitia Regi Breve Bonifacii, die secundo Aprilis datum, præsentaverint.

Monach. Dionys. l. 12. c. 4. Spicil. tom. 6.

Lectum est in pleno Consilio Breve, & ab omnibus, & maximè à Rege approbatum; cui aliam, qualem antecedenter non habebat, lucem contulerat, Doctor Bernardus Alamandus Episcopus Condomensis & Capellanus Regis, qui ad eum literas & Tractatum suum de Schismate misit, ubi dicebat, infirmitatem ejus potuisse esse effectum iræ DEI, quæ illum puniret, quòd hactenus procurare neglexerit unionem Ecclesiæ, pro qua toties, támque frequenter instabat Universitas. Quidquid autem esse potuerit, Episcopus iste sua conjectura se forsan decepit, prout satis frequenter illis accidit, qui nimis audacter in arcana DEI judicia penetrare conantur: non parum tamen hoc profuit, ad firmam Regis resolutionem, animum ad tantum negotium seriò applicandi, & benignè, ut postea fecit, demonstrationes & Consilia Universitatis audiendi. Conclusit proinde in Consilio, non obstante oppositione Joannis Ducis Bituricensis, Cognati Regis, & magni amici Clementis; ut nihil rescribendo ad Bonifacium, qui non agnoscebatur, neque etiam offendendus censebatur, sed missis ab eo nuncijs, oretenus respondeatur: quòd sua Majestas valde approbet, quæ scripsit, eámque resolutam esse, ad omnia bona officia impendenda pro unione Ecclesiæ procuranda. Cum hoc responso Carthusiani remissi fuerunt, quibus Rex associavit duos alios ejusdem Ordinis Religiosos, quorum unus erat Prior Carthusiæ Parisiensis, cum literis ad omnes Italiæ Principes, qui ad conjunctionem cum Rege, pro tam Sanctis intentionibus promovendis, invitabantur: Post hæc instituta fuerunt preces publicæ, atque Processiones: in una earum, quæ fuit Generalis omnium Ecclesiarum Parisiensium, ex Ecclesia Beatissimæ Virginis usque ad Sancti Germani ducta, cui Rex adesse voluit cum omnibus Principibus, & tota sua Curia, pro hac unione impetranda.

Hist. Univ. tom. 4.

Clemens, cui Rex litteras Bonifacij miserat, asserebat nullam illarum habendam esse rationem, utpote intrusi, precésque & Processiones ipse quoq; instituit; imò peculiare Officium & Missam pro pace ordinavit, ut ostenderet, se illam æquè ac Bonifacius, desiderare: & ità, cuncta benè disposita, ad vicinam unionem videbantur. Sed ambitio duorum Pontificum brevi ostendit, quàm longè ab ea distarent. Cùm enim Universitas, ad mentem Regis, vias efficaces pro exstinguendo Schismate quærere incepisset, non ampliùs examinando, quis eorum potiori jure gauderet, tum duo isti Pontifices, qui rem eandem volebant, videlicet, semper regnare, convenerunt inter se, nè quidquam deinceps, de pace, unione, & de omnibus pro illa obtinenda sacrificandis, loquerentur; sed ut solùm protestarentur, & quisque ex parte sua tueretur se verum esse Pontificem, suúmque Æmulum, Intrusum; quam litem sciebant nunquam finiri posse. Sic Bonifacius responsô Regis à Carthusianis acceptô, dum stare promissis debuisset, alijs literis unicè asseverabat, atque tuebatur se verum esse Pontificem, & quòd pro tali agnosceretur, contra Intrusum verò perpetuò querulabatur: qua ratione unio semper impediebatur; dum ex altera parte idem apertiùs agebat Clemens. Annus 1393.

Hist. Univ. t. 4.

Mon. Dionys. l. 13. c. 5.

Quidam enim Joannes Polinus Carmelita Theologiæ Doctor, cui pro conciliando populo, & proprio emolumento, potestatem Clemens con-

Mon. Dionys. l. 12. c. 7. Hist. Univ. t. 4.

Annus 1393.

contulit ab omnibus casibus reservatis absolvendi, & magnas indulgentias elargiendi; ejus mandatô prædicabat, vias omnes pro unione reperibiles, inutiles esse, nec aliam superesse, quàm ut omnes Principes Christiani sacro fœdere uniti, Bonifacium è sua pellant sede, & soli Papæ Clementi obedientiam reddant, Vicario JEsu-Christi debitam: propter quod, Universitas illum à suo corpore abscissum rejecit, quæ porrò sancta sua cœpta generosè prosequebatur: cùmque rursus negotij hujus causa de pace Ecclesiæ, recidivâ Regis, interrumperetur; occasione convalescentiæ, novam ad Regem instituit Deputationem, ubi quidquid forte, ac vehemens pro pace Ecclesiæ dici poterat, producebatur. Et quia ad Ducem Bituricensem, magnum Clementis Protectorem, pertinebat, nomine Regis responsum dare, jam de successu Deputationis hujus desperabatur. Sed hic sive mentem mutaverit, sive Doctores ad lucrandum tempus morari voluerit, tandem dixit, suæ Majestati nihil magis in votis esse, quàm deplorandi Schismatis exterminium, ad ipsos autem spectare, vias illud exstinguendi reperire, atque proponere amplectendas, si prævio maturo earum examine, in consilio justæ atque rationabiles videbuntur. Cum hoc responso Universitas plenè contenta, Conventum Generalem quatuor Facultatum instituit, ubi collectis suffragijs secretis, quæ in urnam bene clausam imponebantur, inventum est, omnes unanimiter concludere, unam è tribus vijs amplectendam esse; aut voluntariam utriusque Pontificis cessionem, ut alius eligatur, vel compromissionem, utroque suum jus in manus Arbitrorum ab ipsis eligendorum, vel aliorum, qui controversiam decidant, deponente; vel tandem Concilium Generale, authoritate ipsius JESU-Christi & de consensu Fidelium hac occasione congregatum. Ecce tres vias unionis, quæ parvo tractatu comprehensæ, in forma Epistolæ Regi, è communi sententia Universitatis erant præsentandæ, cum rationibus præsertim primam probantibus, & responsis, ad omnia, quæ in contrarium objici possent.

Mon. Dionys. l. 13. c. 3. Hist. Univ.

De Puy. Tract. de Schis.

Dum in hoc tanti momenti opere laboraretur, Cardinalis Petrus de Luna, ex Hispania redux, ubi Legatione functus est, tribus Regnis ad Clementis obedientiam reductis, in Galliam Legatus advênit, specie pacis inter Galliam & Angliam tractandæ, re autem ipsa, ut se Universitati opponeret, cujus optima cœpta suis molitionibus, penitus evertit. Cùm enim & ingeniô & scientiâ polleret, in sua sensa pertrahere nitebatur tam in publicis conferentijs, quàm in privatis colloquijs aliqua Universitatis membra, maximè autem magnum Magistrum Navarræ & Doctorem Ægidium de Champs, quos fortiores agnoscebat: Effecítque, ut Clemens illos apud se habere voluerit, quasi eorum operâ in gubernatione Ecclesiæ usurus; quod tamen hi sagaces Viri artificium observantes, intelligere nolebant, ità ut Clemens minas & fulmina intentaverit excommunicationis, & interdicti Universitati, nisi à suis cœptis desierit. Sed ista semper immobilis pro Ecclesiæ bono, quod unicè præ oculis habebat, in sua resolutione de una ex tribus vijs, prosequenda perseveravit; quas duo Pontifices sumoperè aversabantur; & suas dignitates nè quidem in dubium vocari patiebantur. Sed quod solers Cardinalis assequi non valebat cum illis Generosis Doctoribus agendo, tandem apud Curiæ Magnates, quos sibi conciliavit, præsertim apud Ducem Bituricensem, obtinuit, oblatis muneribus, gratijs expectativis, Decimis & beneficijs Ecclesiasticis, quæ omnia illis vendebat, Ecclesiam Gallicanam desolando, ut illos ditaret, & eâ nimirum conditione tanquam pretiô harum gratiarum promitterent, se omni studio præ-

Annus 1393.

Mon. Dionys. L. 14. c. 1. Hist. Univ.

Robert. Gogutn.

Mon. Dionys. Hist. Univers.

Annus 1393. præpedituros, nè propositiones Universitatis ullatenus admittantur.

Hâc ratione Deputati Universitatis ad Ducem Bituricensem, vias ad unionem Ecclesiæ, prout ipse Regis nomine illis demandaverat, proponendas venerunt, & vehementer obstupuerunt, quòd hic Princeps, qui eô tempore, cum fratre suo Duce Burgundiæ cuncta gubernabat, Deputationem tam asperè, & cum contumelijs rejiceret, Doctores tanquam seditiosos & rebelles objurgando, mináſque addendo, fore, ut in fluvium præcipitentur, si cœpta prosequi præsumpserint. Universitas tamen, hôc indignô agendi modô, nihil absterrita, ad Philippum Burgundiæ Ducem, mentis animíque incomparabiliter majoris, & minùs utilitati propriæ intentum Principem se convertit; qui & querelas admisit, & propositiones Doctorum audivit atque probavit; suam denique Universitati Protectionem spopondit, in cujus favorem tandem publicam obtinuit audientiam pro die ultimo Junij, in cubiculis Regis, præsentibus omnibus Principibus, Coronæ Officialibus, & compluribus Prælatis.

Mon. Dionys. Hist. Univ.

Joann. Juvenal. Ursin.

In hac audientia Magnus Prior Sancti Dionysij Guilielmus Barraut, Theologiæ Doctor, & celeber in Gallia Concionator, peroravit, & vias tres ab Universitate delectas proposuit, earúmque rationes, æquitatem, & facilitatem, præsertim quoad viam cessionis demonstravit; addebat, quòd si quis duorum Pontificum hanc viam cessionis pro abolendo Schismate amplecti renueret, pro schismatico sit habendus; ad finem flexis genibus Regi obtulit in Libello Universitatis literas, quas Rex palàm totas legi curavit, & approbavit, quæ apud Monachum Sancti Dionysij & Tomô quartô Historiæ Universitatis videri possunt. Has literas in linquam Gallicam verti curavit, & in pleno Consilio examinari, dilatô interim Universitati in tempus aliud responsô. Verùm, sive hôc intervallô durante, animus Regis, ex infirmitate sæpiùs redeunte refrixerit, sive molitionibus Cardinalis Arragoniæ, vel factio Bituricensis Ducis, contra Ducem Burgundiæ in Consilio prævaluerit; certum est, quòd dum pro responso accipiendo Universitas comparuisset, Cancellarius Arnaldus de Corbia pro toto responso nomine Regis, ei prohibuerit, nè posthac ullatenus præsumat huic negotio se immiscere, nec de illo ullas literas accipere, nisi priùs Regi oblatas, & ab eo reseratas. Universitas semper generosa, videns adeò injustè contra spem omnem se rejici ab ijs, quos Cardinalis Arragoniæ corruperat, & qui Regis ægritudine abutebantur; fecit, quod aliàs simili occasione in more habuit, & à Prælectionibus ac Prædicationibus per totam Urbem Parisiensem, sicut in calamitate publica Ecclesiæ oppressæ suspensis, abstinuit. Misit tamen Pontifici Clementi brevem Tractatum, cum pulcherrimis litteris, per quas gestorum suorum reddebat rationem. Qui eas in pleno Consistorio legi curavit, & usque ad medium pacatè audivit; sed ubi sermonem de cessione & voluntaria sui ipsius depositione percepit; tum enim verò, quasi subitaneo ictu mortali percussus, in throno totus iracundiâ flagrans, exclamavit has literas esse venenatas, & in suum conclave, oculô fulmineô in portitorem illarum conjectô, se recepit; ille interim Avenione, longè celeriùs, quàm advenerit, abijt. Nihilominus Cardinales, exceptô Petrô de Luna, qui Parisijs Victor redierat, videntes, quòd Pontifex, metuens nè de hoc negotio quidpiam diceretur, nullum institueret Consistorium, motu proprio pro literis illis examinandis convenerunt: cúmque Pontifex indignatus, illos idcircò acriter objurgâsset, ingenuè illi edixerunt, tres vias propositas esse justas, & unam ex illis pro pace Ecclesiæ necessariò esse am-

Annus 1393.

Idem Auth Vit. Clem. T. 4. Hist. Univ. Paris.

Mon. Dionys. l. 14. c. 2. Juvenal.

Annus 1393. amplectendam. Hoc responsum adeò coarctavit cor Clementis, ut illico ægrotaverit, nondum tamen lecto affixus; & post paucos dies, à Missa in cubiculum redux, de oppressione cordis conquestus, ictu apoplexiæ prostratus est, quæ illum ex hoc mundo abstulit annô ætatis quinquagesimô secundô, & existimati Pontificatûs decimô sextô. *Auth.Vit.* De hoc obitu aliter scribit manuscriptum Authori nostri; de quo supra dictum est. Princeps, multis bonis dotibus erat instructus, quæ commendare poterant, Virum tantorum Natalium; & cui major nequit obiici defectus, quàm quòd in suo Pontificatu, nimis memor fuerit, se esse Principem, ex quo cæteri omnes emanabant. Cùm enim ad deserendam suam dignitatem resolvere animum noluisset, vivere in omni splendore & magnificentia instar Magni Principis non desinebat, & idcircò Ecclesiam Gallicanam, exactionibus gravissimis opprimebat.

Quàm primùm obitus Clementis innotuit, Rex ad Cardinales scripsit, rogans, ut electionem novi Pontificis tantisper differrent, usque ad adventum suorum Legatorum, quos missurus erat ad tractandam Ecclesiæ pacem. Universitas quoque à multis Principibus & Regibus per literas admonita, & ad prosequendum inchoatum opus stimulata, Regi supplicabat, ut hanc electionem sisteret, usque dum concluderetur, cuinam è tribus vijs propositis insistendum esset; intereà ut sibi facultas permittatur ad alias scribendi Universitates, & ab illis responsa recipiendi. Concessa fuêre omnia, eâ tamen conditione, ut Prælectiones publicæ, prout factum est, & Conciones resumãtur. Rex Arragoniæ, ad complures Germaniæ Principes, & ipse Bonifacius, de hac re ad Regem scripserunt, ut nimirum novam præpediret electionem.

Sed frustanea erant hæc omnia; quia cursor à Rege missus, nonnisi, postquàm viginti duo Cardinales Conclave intrârunt, Avenionem appulit; qui suspicati quod erat, & Pontificem eligere volentes, uti Romani, literas non nisi peracta electione aperire decreverunt. Intereà, ut Regi ostenderent, suum sincerissimum pro unione procuranda studium, quam certè major pars eorum, rectô animô desiderabat; mox Actum authenticum signârunt, quô, inter alia cum juramento super sancta Evangelia se obstringebant quòd futurus Pontifex, unionem Ecclesiæ totis viribus sit procuraturus, usque ad cessionem & sui ipsius è Pontificatu depositionem, si major pars Cardinalium pro pace Ecclesiæ illam judicaverit necessariam. His peractis, intrà biduum, quo in Conclavi erant, die vigesimo octavo Septembris, una omnium voce, Cardinalem Arragoniæ Petrum de Luna elegerunt, qui nomen Benedicti XIII. assumpsit. Annus 1393. *Niem.l. 2. c. 35. Ciac. in Bened.*

Erat is è Prosapia valde illustri de Luna inter præcipuas Regni Arragoniæ familias, annorum circiter sexaginta, staturæ majoris mediocri, gracilis, & ad functiones corporales expeditæ; complexionis robustæ, ingenij excellentis, subtilis, industrij, vivacis & perspicacis, magna studiorum assiduitate exculti; in scientijs præsertim Sacrorum Canonum peritissimi, quos in Universitate Montis Pessulani publicè cum plausu docuit; cæterà vitæ inculpatæ, & omnibus, ob amœnam agendi rationem charus. *Cod.M.S. Burdag. ap. Spond.* Eum Gregorius XI. tam bonis dotibus præditum purpurâ Cardinalitiâ honoravit. Dicitur autem, quòd Pontifex audiens illum esse ambitiosum, & indolis præfervidæ, dum illi Galerum imponeret, dixerit: *Attende, fili mi, nè Luna tua Ecclypsim aliquando patiatur.* Quamvis negari non possit, eum animo grandi & præclarô talentô ad negotia tractanda fuisse præditum; certum tamen etiam est, quòd defectibus laboraverit, quibus affectus homo iste plurima causare potuerit

Annus 1393. rit mala, ſi Pontifex in tali ſchiſmate eligeretur. Erat enim ambitioſus, ferox, locum ſemel occupatum cedere neſciens, animô duplex, deceptor, fraudulentus, fidei datæ incurius, in malo immobilis & obſtinatus, & extremè pertinax.

Mox à peractâ electione, ratum habuit ſtatutum in Conclavi ſubſcriptum: & quemadmodùm antecedenter affectabat, ut Pontifex eligeretur, ità & videri, præſertim in Hiſpania, & in ſuo Avenionem reditu, ſe improbare lentos ad ſchiſma exſtinguendum conatus; unde Cardinales, nihil ambigebant, quin pacem Eccleſiæ quantocyùs eſſet redditurus. In hac opinione & ſpe confirmabantur, ex eo, quòd mox literas dederit ad omnes Principes, magno cum deſiderio tantum negotium abſolvendi. Ad Regem quoque Chriſtianiſſimum recurrit, ubi per Epiſcopum Avenionenſem proteſtabatur, ſe Pontificatum non accepiſſe, niſi ut Eccleſiæ pacem conferret; ſe promptum eſſe ad omnes vias, quas ſua Majeſtas judicaverit opportunas, in hunc finem amplectendas; imò ſe reſolutum eſſe, ad finiendos potiùs in Monaſterio vitæ ſuæ dies, quàm Pontificatum retinere durante hoc infauſto ſchiſmate. Eadem ſenſa Univerſitati ſignificari curavit; quæ illi pulchram reſcripſit gratiarum actionem per ſuos Deputatos miſſam, quibus aliquando, Cappam Pontificalem exuens ad menſam iturus, dixerat: ſe pari cum facilitate Pontificatum, pro pace Eccleſiæ depoſiturùm. Cùm igitur de concordia iſta brevì ſecutura nihil dubitaretur in Gallia, Rex iterum celebrem ac numeroſum convocavit Cœtum Prælatorum Regni, & præcipuorum Doctorum: in quo juxta Conſilium Univerſitatis reſolutum fuit, viam ceſſionis cæteris eſſe præferendam, tanquam tutiorem & faciliorem: de qua Benedictus cum Rege ad omnes obedientiæ ſuæ Principes ſcripturus eſſet, Rex verò ſolus ad omnes alios, etiam ad Bonifacium, ut eam omnes amplecterentur, poſtquàm plerique Cardinales Romæ degentes, in eandem ſententiam ad Regem ſcripſiſſent; ut poſtmodùm electio novi Pontificis vel per Electores ab utraque parte Deputatos, vel per utrumque Cardinalium Collegium inſtitueretur.

Rex nihil ferme jam dubitans, de abſolvendo tanto negotio, habita Benedicti promiſſone, Legationem celeberrimam, & valde magnificam expedivit Avenionem pro ſolemni pacis Eccleſiæ concluſione: conſtituebatur illa ex tredecim, vel quatuordecim Primariis Conſiliariis Regiis, cum Deputatis Univerſitatis, inter quos primi erant Duces Bituricenſis, & Burgundiæ, Regis Affines, & proprius ejus Frater Dux Aurelianenſis, cujus rei nullum adhuc viſum erat exemplum, & veroſimiliter nunquam videbitur. Menſe Majo Avenionem pervenerunt, & mirificè à Benedicto excepti fuerunt, qui ſuum ingenium, doctrinam, & eloquentiam inclareſcere fecit, ad ſingula puncta prolixæ orationis à Doctore Ægidio de Champs publicè pronuntiatæ, extemporanè reſpondendo. Sed ubi in privatis agendum erat conferentijs, mox apertè malam fidem ſuam, & fraudem prodebat, ſatiſque indicabat, quòd non obſtantibus ſpecioſis promiſſis Regi datis, mallet ſchiſma ſemper durare, quàm Pontificatum abdicare, quem uſque ad mortem invitâ totâ Eccleſiâ, uti fecit, retinere decrevit.

Quidquid enim ſpatio ſex hebdomadarum allatum fuerit, ut ad promiſſa implenda induceretur, allegatô Actô authenticô in Conclavi ſignatô; quòd omnes Cardinales, excepto Pampelonenſi, viva voce & ſcriptô, judicaverint, viam ceſſionis, ad abolendum ſchiſma, eſſe amplectendam, quam Rex Chriſtianiſſimus pro bono Eccleſiæ tantopere zelans, ei propoſuit, cui ſe ipſe in hoc reſignavit; & quamvìs Legati

Marginal notes: Mon. Dionyſ. L. 14. c. 5. — Hiſt. Univ. — Annus 1395. — Monach. Dionyſ. L. 14. c. 6. 7. — Annus 1395. Joann. Juvenal. Hiſt. Uni. T. 4. — Mon. Dionyſ. L. 15. Jo. Juvenal. Cod. M. S. Bibl. Victor. Hiſt. Univ. T. 4.

Annus 1395. ti omnes cum Ducibus uniti, cùm publicè atque privatim, semel etiam genuflexi, manibus elevatis, & oculis lachrymantibus obtestati fuerint; tametsi denique omnes tres Duces, quorum constantiam infirmare, & fidelitatẽ corrumpere conabatur, promissô etiam Patrimoniô Sancti Petri in Italia, semper imobiles viam cessionis urgerent, quam se initurum promiserat: ille nihilominus obstinatus eam perpetuò respuebat; nec aliud quidquam ab eo poterat obtineri, quàm declaratio quædam in forma Bullæ, in qua nihil reipsa concludebatur. Postquàm enim in ea dixisset, viam cessionis, cum inconsiderata obligatione à se acceptatam, neque posse neque debere admitti, cùm nullo jure præciperetur; nec unquam ad existinguendum schisma in usu fuerit, essétque perniciosi in Ecclesia exempli, imò etiam magno scandalo eorum, qui veram & legitimam coluêre obedientiam; postea tria alia unionis proferebat media: primum, ut ipse & suus Competitor cum omnibus utriusque partis Cardinalibus in loco securo, sub protectione Regis conveniant, & simul de inveniendis pro concordia mediis tractent: secundum; si primum non succederet, ut ex utraque parte Viri probi in certo numero eligantur, qui examinatis partium juribus, de controversia sententiam intra tempus determinatum pronuntient, nec ante illam è Conferentia exeant, eorúmque judicio cuncti acquiescere teneantur: Tertium denique, si nec isti consentire sibi possent, se ipsum offerebat ad proferendam aliam in loco illo viam, vel ad eam, quæ ipsi proponeretur, amplectendam, dummodo hæc sit juribus & rationi consentanea: quòd de cætero, se verum esse Pontificem nullatenus ambigat, nonnisi soli DEO, cujus in terris locum tenet, subjectus.

Mon. Dionys. Illud magis mirum erat, quòd pro salvando aliquatenus honore, non omiserit protestari sæpiùs coram Ducibus, se hac Declaratione nullatenus revocare id, quod in Conclavi juraverat, intelligendo haud dubiè, (id quod nonnisi falsa & captiosa fuerit subtilitas, bonæ fidei tantopere contraria) nimirum, quòd se ad viam cessiõis non aliter obstrinxerit, nisi in casu, quo rectæ rationi consona foret: quod tamen credere nunquam volebat; quamvis Doctores Parisienses abundè probaverint, illius æquitatem & necessitatem in tam diuturno schismate, quod perpetuum esset, si ad decisionem jurium partis utrusque descenderetur; cùm moraliter impossibile foret discernere in hoc labyrintho difficultates & varios colores, qui ex utraque parte reperiebantur. Idcirco Doctores istos asperrimè hac occasione tractavit, & contumeliosè rejecit Benedictus, eósque cum aliis Legatis ad publicum alloquium non admisit; tantas denique minas intentavit, ut Universitas censuerit, sibi appellandum esse, uti fecit, ab omnibus, quæ contra illam ageret, ad illum Pontificem, qui verus & unicus post abolitum schisma creandus esset. *Ibid. Cod. M.S. Victor.* *Mon. Dionys.* *Cod. M.S. Victor. Hist. Univ. T. 4.*

Sic Duces rebus cum Benedicto infectis, Parisios reversi fuerunt. Proinde suadebatur Regi, Legatos cum Deputatis Universitatis mittendos esse ad Reges & Principes Angliæ, Germaniæ, Hungariæ, & Hispaniæ; ut ad pacem Ecclesiæ procurandam, per viam cessionis, utpote efficacem, concurrerent. Rex Angliæ hanc viam tandem lubens acceptavit contra opinionem Universitatis Oxoniensis, quæ litem istam, per Concilium censebat esse decidendam. Quod autem hunc Principem ad amplectendam viam cessionis determinavit, illud erat; quòd postquàm cum Rege Galliæ, Romam & Avenionem, suos misisset Legatos, qui duos Pontifices ad acceptandam viam cessionis urgerent, ambo Reges è suis Legatis redeuntibus cognoverunt, quòd Bonifacius & Benedictus contra cessionem collu- *DePuy. Cod. M. S. Victor. Mon. Dionys. L. 15. c. 10. & L. 16.* *Froiss. Vol. 4. c. 96.*

Annus 1395. colluderent, Bonifacio asserente, se pronum ad eam amplectendam esse, si eandem Benedictus admitteret, probè gnarus, ab isto semper rejiciendam esse. Imperator & Rex Bohemiæ Wenceslaus, Electores Imperij, Duces Bavariæ & Austriæ Francofurti congregati, consilio Universitatis Parisiensis de via cessionis adhæserunt. Rex Hungariæ Sigismundus absque omni hæsitatione prioribus accessit, uti etiam Reges Navaræ atque Castiliæ contra omnes sollicitationes Martini Regis Arragoniæ, qui Joanni Regi successerat, & propter privata sua commoda, Benedicto, tanquam subdito suo assistebat.

Antonin. tit. 22. c. 33.

Annus 1397.

Rex Lusitaniæ & alij Principes, qui Pontificibus Romæ degentibus adhærebant, nullam è tribus vijs pro abolendo schismate propositis admittebant, & nè erràsse viderentur, Bonifacio constanter parebant. Reperiebantur nonnulli, qui artificiis Benedicti decepti, ad eum revertebantur: alij verò pacem & unionem, non tamen viâ cessionis, desiderabant. Quapropter Universitas, videns, schisma non tantùm non aboleri, sed potiùs tanta opinionum diversitate, atque collusione duorum Pontificum, augeri, nisi Benedictus magis efficacibus mediis ad promissa implenda cogeretur; Regi demonstrabat, eum ad hoc opportunè cogendum esse subtractione obedientiæ, vel saltèm juris Beneficia conferendi, & Decimas à Clero Gallicano colligendi: quem in finem, expediens fore dicebat, convocare Cœtum Prælatorum & Universitatis Deputatorum. Hæc benignè audiebat Rex, eáque in Conventu Generali Ecclesiæ Gallicanæ decrevit perpendenda, mox post congressum & conferentiam de hac ipsa unione, cum Wenceslao Imperatore & Bohemiæ Rege absolutam.

De Puy. Hist. Univ.

Hic Princeps post electam in Diæta Francofurtensi viam cessionis, desiderium in Galliam veniendi concepit, quasi cum Rege de modo illam aliud exequendi collaturus, quamvis reipsa, non nisi ut genio & lautitiis indulgeret, cogitaverit, homo ignavus & ventri deditus. Dux Aurelianensis ad confinia Regni excurrit, eum excepturus, & Remos deducturus, quò Rex die vigesimo secundo Martij cum Rege Navarræ, cum Principibus & tota sua Curia, ad honorem hospiti suo exhibendum advênit, & altero die ad duas leucas ad illum recipiendū obviam perrexit, & post valde superbum ingressum in Abbatiam Sancti Remigij deduxit. Ibi die sequenti, satiari non poterat, aspectu & admiratione illius magnificentiæ, suppellectilis & apparatuum, quibus omnes aulæ atque cubicula erant refertissima; sed præcipuè conclavia, quæ incolebat, rebus raræ pulchritudinis & inæstimabilis pretij, erant exornata, ità ut aspectu earum infascinatus & quasi extra se positus videretur. Rex qui erat magnificentissimus Princeps, illi significari urbanitatis officium curavit, ad quod omnes illi Domini Bohemi & Germani, qui Wenceslaum Imperatorem comitabantur, obstupefacti & attoniti hæserunt; quòd, cùm res tam exiguæ illi non displicerent, roget, ut eas pro levidensi dono oblato acceptet, eúmque pro die crastino ad prandium invitet. Hic Princeps utrumque simpliciter, & sinè omni Cæremonia acceptavit. Sed altero die Rex vicissim alia de causa vehementer obstupuit: dum enim suas devotiones, festo Annunciationis absolvisset, Duces Bituricensis & Bourbonius pro adducendo Wenceslao missi, reduces & valde scandalizati retulerunt Regi, quòd ebrium hominem jam satiatum, & vino potato incubantem invenerint; ità ut pro die sequenti aliud splendissimum prandium necesse fuerit præparare: quo absoluto, Rex illum in suum Conclave cum Rege Navarræ deduxit, ad conferendum de negotio unionis, quod breviter confectum est. Wenceslaus enim, qui post prandi-

Froissart. Vol. 4. c. 91. Mon.

Annus 1397. *Dionys. L. 17. c. 6. I. Juvenal.*

K 2 um

Annus 1398. um ad negotia tractanda non erat idoneus, promptè & sinè multis verbis in omnia, quæ Rex volebat, consensit; & in altero alloquio spopondit, se convocaturum Prælatos Ditionum suarum, qui exemplô Regis, pro unione laborent.

Mon. Dionys. L. 18. c. 2. J. Juvenal. Cod. M. S. Victor. ap. Spondan. De. Puy. Hist. Univ. Paris. Quamprimùm accessio infirmitatis, quæ post conferentiam istam rediit, aliquantum remisit, Rex, unum è maximis & celeberrimis Cœtibus, qui unquam in Gallia visi fuerunt, convocavit, cujus initium die vigesimo secundo Maij factum est, contra omnes conatus Benedicti eum impedire nitentis, per Cardinalem Pampelonensem Martinum de Silva missum in Galliam, sed à nemine auditũ. Rege aliquantum ægrotante, locũ ejus in Cœtu illo tenuerunt, Dux Aurelianensis ejus Frater, Duces Bituricensis, Burgundiæ & Bourbonij, Affines Regis, assistentibus Arnoldo de Corbia Regni Cancellario, & omnibus Regis Consiliariis. Interfuit Carolus III. Rex Navarræ, & Rex Castiliæ suos eò misit Legatos: Aderant cum Patriarcha Alexandrino undecim Archi-Episcopi, sexaginta Episcopi, septuaginta Abbates, sexaginta octo Procuratores Capitulorum, Rector Universitatis Parisiensis, cum Procuratoribus Facultatum; Deputati Universitatum Aurelianensis, Andegavensis, Monspeliensis & Tolosanæ, præter plurimos Doctores Theologiæ atque Canonum. Simon de Cramaud Lemovicensis Patriarcha Alexandrinus, qui in hoc Cœtu præsidebat, omnia quæ hactenus acta sunt, recensuit, & subtractionem obedientiæ generalem vel particularem proposuit, pro compellendo Benedicto ad capessendam viam cessionis, ad quam se ipse obstrinxit. Rex Navarræ, & Legati Regis Castiliæ protestabantur, quòd subtractio ista facta jam esse debuerit: sed ut in forma debita, & solidiùs procederetur in tam gravi deliberatione, electi fuerunt sex Viri docti ex illis, qui partibus Benedicti arctissimè inhærebant, ad eum defendendum cum Episcopô Masconæ, qui pro illo tuendo venerat; quibus alij sex pro parte contraria opponebantur. Proferebantur ex utraque parte, quæcunque dici poterant; & Universitas Tolosana maximos conatus contra subtractionem opponebat. Sed ubi ventum est ad suffragia ferenda & colligenda, compertum est, quòd ex trecentis fermè vocibus, ducentæ quadraginta septem concluserint pro universali obedientiæ Benedicto subtractione, usque dum viam cessionis acceptaret. Annus 1398.

Hæc gesta Regis authoritate, per intervalla convalescentis, ei à Cancellario relata sunt, decrevítque pluralitate sententiarum standum esse: quod etiam suis literis die vigesimo septimo Julij publicari jussit, prohibens omnibus subditis obedientiam Benedicto præstandam, & nè Officialibus ejus quidquam solverent; mandabat præterea, ut intereà temporis Ecclesia Gallicana suis antiquis uteretur immunitatibus, & Beneficia secundùm jus Commune, per electiones Capitulorum, vel per Collationes gratuitas Ordinariorum providerentur, nihil eorum accipiendo, quæ ab Officialibus Pontificum quocunque prætextu exigi solebant.

Exemplum Galliæ mox imitati sunt Principes vicini, & Dux Bavariæ, qui parem in suis Provinciis obedientiæ subtractionem in spiritualibus & temporalibus præceperunt. Regina Maria de Blois Mater Ludovici Andegavensis Siciliæ Regis, idem in Provincia sua fecit, uti etiam Reges Navarræ & Castiliæ, ubi Ecclesia, sicut in Gallia gubernabatur. *Tract. de Puy. Hist. Univ. Hist. Provin.*

Sed, quod in tam subitanea, & insolita revolutione magìs perculit Benedictum, illud erat, quòd à suis octodecim Cardinalibus desertum se viderit, qui transmissô illi scriptô authenticô suæ subtractionis, Villam novam in Ditione Regis, trans-Pontem Avenionensem sitam, recesserunt, ad evitandam violentiam, quam *Mon. Dionys. L. 18. c. 6. J. Juvenal. Surit. L. 3.*

Annus 1398. quam hic Pontifex inferre illis poterat, cum nongentis armatis Arragoniis, ab ejus fratre Roderico de Luna, præclaro milite adductis, & pro Custodia Palatij Pontificij adhibitis. Sic demum Benedictus nonnisi cum duobus Cardinalibus, Pampelonensi, & altero, cui nomen erat Bonifacius, qui ei semper fideles erant, ab aliis omnibus derelictus, remansit.

Sed ultra hæc, Avenionenses ex una parte ab eo jam offensi, ex altera verò Mareschallus de Bauciaut, à Cardinalibus vocatus, in suo illum obsederuntPalatio; ubi non obstante omni robustissima resistentia Roderici de Luna, qui ea occasione magnanimi & generosi Viri functus est officio, Benedictus in extremas brevì reductus fuit angustias. Ex altero latere, Cardinales Pictaviensis, Saluzianus, & Turejensis à Cardinalibus Villenovæ degentibus Deputati, Regem potenter urgebant Benedictum interciperet, ùt facilè poterat obsidione continuata, prout eam Mareschallus inchoavit, machinis bellicis muros pro irruptione conquassando: ubi deficiente jam alimonia, duo residui Cardinales evadere volentes, in manus Mareschalli inciderunt, qui eos carceri mancipavit, in quo Cardinalis Bonifacius obiit; Pampelonensis verò, libertatem suam quinquaginta millibus scutorum redemit: ità ut de Pontifice ab omnibus derelicto conclamatum esse videatur; qui tamen prospero successu arcanæ intelligentiæ, quam in Curia colebat, respiravit. Certum est, quòd in Clero & in Consilio Regio multos adhuc sibi faventes habuerit, qui beneficijs acceptis & speratis, ejus restitutionem desiderabant. Isti adeò solerter apud Ducem Aurelianensem agebant, non ità irritatum contra Benedictum, ut illum in suas induxerint partes contra Ducem Bituricensem, qui à Legatione Avenionensi, ubi se deceptum querebatur, tantus erat Benedicti hostis, quantus fuerat Amicus Clementis.

Mon. Dionys. l. 18. c. 10.

Aliunde Martinus Rex Arragoniæ, qui ægrè ferebat in sua constitutum protectione opprimi Galliam tamen offendere non ausus, ad Regem Legatos misit, eúmque securum reddebat, Benedictum omnino paratum esse ad causam suam Regis arbitrio, committendam, & omnia ejus placita implenda. Dux Aurelianensis cum suis adhærentibus, occasione ista adeò favente utendum rati, effecerunt, quòd Rex Mareschallo mandaverit, obsidionem arctam in laxiorem converti, ità tamen, ut nemo è Palatio egredi permitteretur, & victualia, atque alia necessaria inferri non impedirentur, quàmdiu cum Benedicto Tractatus ageretur. Tractatus iste per Legatos Regis Galliæ, & Regis Arragoniæ brevi tempore conclusus fuit, quibus Pontifex scriptô authenticô die vigesimo Aprilis promittebat, se Pontificatui renuntiaturum, si nimirum Bonifacius pariter renuntiaverit, aut obierit, vel sede sua depulsus fuerit; dimissurum denique præsidium, & nonnisi centum viros, pro sua custodia servaturum. Legati vicissim Regis nomine pollicebantur, quòd non obstante subtractione obedientiæ, Rex illum in suam protectionem sit accepturus, & necessaria subministraturus, quamdiu sub custodia Regia in Palatio detinebitur, usque ad executionem promissorum: quòd intereà neque Cardinales, néque Avenionenses, qui hactenus Palatium obsidebant, quidquam contra eum sint tentaturi. Tum enim verò Benedictus Literas Regi Galliæ cum summa submissione scripsit ad commovendum cor aptissimas, quibus, præmissa sua excusatione, recensebat ærumnas indignè sibi illatas, & tandem pro sui liberatione ex captivitate adeò ignominiosa, & intolerabili supplicabat; denique obtestabatur, nè Rex pateretur illum, quem ipse antehac semper pro suo Patre, & Pastore agnoscebat, & qualis adhuc maneret, non obstante iniqua subtractione,

Annus 1398. Surit. l. 5.

Annus 1399.

Hist. Univ. t. 4. sub fin.

Annus 1349. ne, in ferreis vinculis degere cum opprobrio æterno eorum, qui in sua persona, jura omnia Sanctissima, Naturæ & Patriæ violare non reformidant. Ad hæc admirabiliter respondit Rex, per literas cum pari fortitudine, teneritudine, ac veneratione; in quibus ei ob oculos ponebat obligationem indispensabilem, quam habebat, quantumvis verus foret, uti se existimat esse, Pontifex, ad reddendam Ecclesiæ pacem, viâ cessionis, ad quam jurejurando se obstrinxit, & quam ipse omnino necessariam agnovit, deinde exponebat, quæ fecerit, ut schisma redderetur æternum, non impletis promissis, & quanta sit obligatio ad cooperandum deinceps pro unione efficaciter procuranda.

Atque ità Benedictus captivus mansit, & quidem longè diutiùs, quàm ipse sibi imaginatus fuerit, propter magnas, quæ in Anglia, in Germania & Gallia supervenerunt revolutiones, & grande hoc unionis negotium impediverunt. Richardus II. Rex Angliæ ad promovendas sanctas intentiones Regis Galliæ Soceri sui pronissimus, miserè interijt in conspiratione sui Affinis, Ducis Lancastriæ, qui ei coronam proditoriè eripuit, Regnum usurpavit, & à supremo Senatu, seu Parlamento ad perpetuos carceres damnatum, ac tandem in Turri Londinensi crudeliter occidi curavit: & quia justô DEI judiciô, post hoc execrabile parricidium plures contra illum instituebantur conspirationes; illis deprehendendis & puniendis erat intentus, ut se in usurpatione injusta conservaret, nihil de pace atque unione Ecclesiæ sollicitus.

Wenceslaus Imperator, qui in conferentia Remensi Regi Galliæ promiserat, se ad hanc pacem collaboraturum, & cessionem à Bonifacio procuraturum, cum hoc Pontifice, ut sua eluderet promissa, colludebat; & Regi Galliæ, qui eum ad exequenda promissa urgebat, rescripsit, necessarium sibi esse, hac de re cum Regibus Poloniæ & Hungariæ conferre; quod longo tempore egebat. Brevi autem postea in hoc negotio mutatio accidit, occasione Wenceslai ex Imperiali throno dejecti. Hic enim belluinus Princeps, qui non desinebat, suam dignitatem & Imperij Majestatem omni genere vitiorum ac dissolutionum fœdare; tametsi à proprijs subditis, ausu intolerabili & exempló periculosissimô, in carcerem sæpiùs conjectus, ut vitam mutaret, tandem ex Imperio, de consensu Bonifacij dejectus est ab Electoribus, qui in ejus locum, Robertum, Comitem Palatinum Rheni & Bavariæ Ducem elegerunt; qua de re miserabilis Wenceslaus Rex Bohemiæ, adeò parum sollicitus erat, ut nonnullas Urbes Imperiales adhuc sibi adhærentes, libertate donaverit, dummodo vina optima, quæ habere poterant, sibi transmitterent. Adeò ebrietas, cui deditus erat, ei rationem & sensum honoris ademit. Hæc in Imperio mutatio alia in animis Electorum sensa causavit de unione Ecclesiæ, quam antecedenter cum Rege Galliæ procurandam decreverant. Cùm enim ad Bonifacium Pontificem, pro libertate novæ electionis Imperatoris, recurrissent, cujus consensum obtinuerunt, nihil postea in præjudicium illius movere volebant, solùm in terminis generalibus asserentes, se pro viribus ad pacem Ecclesiæ collaboraturos.

Rex Galliæ miratus hanc agendi rationem, quam post promissa data nullatenus expectabat, misit ad Electores Episcopum Aquarum Sextiarum, & Joannem Montrevil Secretarium status, Virum insignem, pro pace Ecclesiæ viâ cessionis zelantem, quam Benedictus sincerè acceptare visus est, prout ex literis ejus communicatis apparebat. Hi Legati, quidquid poterant, spatio trium mensium agebant cum illis Principibus, ut eos ad viam cessionis à Bonifacio acceptandam, ad quod operam

Annus 1399.

Dubrav. Histor. Bohem. l. 23.

Trith. in Chron. Naucl. gener. 47. Kranz. 10. Wandal Mon. Dionys. l. 20.

Mon. Dionys. c. 20. 13.

Cod. Vatic. ap. Bzov.

Annus 1400. ram suam promiserant, permoverent: sed aliud nihil obtinuerunt, quàm quòd ad unionem Ecclesiæ collaborare velint, non tamen viâ cessionis, quam nunquam approbârunt. Annus 1401. Verùm si quidpiam Bonifacio profuit favor Imperatoris Roberti, cujus authoritas in Imperio parum valebat; multum in duobus Regnis Wenceslai & Sigismundi, altero Bohemiæ, altero Hungariæ, quæ ab illo recesserunt, amisit. (Surmit. l. 2. c. 2. Niem. l. 2. c. 27. 28.) Cùm enim Hungari nonnulli Carolum Dyrrachij advocassent, & prævalentes Sigismundum intercepissent, Regémque Ladislaum, Caroli filium, proclamassent; Pontifex pro isto Principe suorum commodorum causâ se declaravit, eúmque tanquam Regem Hungariæ curavit Zaræ in Dalmatia per Cardinalem Florentinum Legatum suum coronari. SedSigismundus à suis subditis è captivitate liberatus, cum suo fratre Wēceslao à Bonifacio recesserunt, qui se pro Ladislao & Roberto declaravit; illi verò Benedicto accesserunt.

(De Puy. Mon. Dionys. Juvenal Cod. M. S. Vict. apud. Spond.) In Gallia quoque, ubi omnia pro via cessionis firmissimè stabant, tanquam pro unico pacis Ecclesiæ medio, ingens repentè nata est mutatio, cum specie quadam schismatis, quod tamen brevì compressum fuit. Annus 1402. Dux Aurelianensis, qui Benedicto favebat, viam tandem invênit illum è captivitate educendi, in qua à militibus plerisque Normandis, jussu Ducum Bituricensis & Burgundiæ arctissimè rursus in Palatio concludebatur. Aurelianensis Dux, quod vi non poterat, industriâ effecit. Repertus est quidam Nobilis Normandus nomine Robertus Braquemont, qui uni cohorti Gallorum in quadam vicina Avenioni Civitate præerat. (Mon. Dionys. l. 22. c. 11. J. Juven.) Hunc, adhærentes Aurelianensi, facilè conduxerunt ad comparandam sibi, è salute unius Pontificis, gloriam. Sæpè ille suos invisebat conterraneos, quibus minimè suspectus erat, & liberè Palatium intrabat, & secretò cum Pontifice agebat, qui de consilio suorum, quos in Curia habebat amicorum, fugâ se salvare statuit. Annus 1403. Robertus Braquemont, quingentos congregavit equites, qui destinato die, duodecimo nempe Martij, propè Avenionem convenerunt. Nonnulli etiam Nobiles Galli hunc in finem, sub varijs prætextibus Avenionem venientes, hospitia pro recipiendo Pontifice liberato è Palatio, conduxerunt.

His ità dispositis, Braquemontius die constituto, Palatium ingressus, toto tempore pomeridiano non exivit: & sub vesperum, ubi ex urbe victualia pro cœna afferentes homines liberiùs intrabant & exibant, etiam ille, absque difficultate, cum Pontifice transvestito, qui pallio unius de pedissequis, quasi unus ex illis, erat involutus, exivit. Dicitur quòd Pontifex nihil ex omnibus, quæ in Palatio habebat, secum abstulerit, præter unam epistolam Regis, qui eum assecurabat, quòd in subtractionem obedientiæ nunquam consenserit, & pretiosum JESU Christi Corpus in pixide in sinu reconditum; (Mon. Dionys. ibid. J. Juvenal) volens hac occasione consuetudinem Pontificum observare, quibus in itinere Sanctissimum Sacramentum præferri solet. Deductus tandem fuit ad hospitium, in quo eum solliciti expectabant Galli, qui, ùt primùm advênit, summô affecti gaudiô se ad pedes ejus cum osculis projecerunt, eúmque omnes in oppidum vicinum, cum quingentis Equitibus paratis deduxerunt.

Ibi jam in securitate constitutus, mox habitum & totam authoritatē Pontificalem induit, quam usque ad mortem retinere, quidquid mundus in contrarium diceret, omnino decrevit. Liceat hîc addere ad cognoscendum genium Benedicti & indolem animi, quod hac occasione scriptor gravissimus illius temporis suæ Historiæ inseruit. (Mon. Dionys.) Cùm durante sua captivitate, barbam nutrivisset in signum oppressionis toleratæ, mox Barbitonsorem accivit ad eam sibi

Annus 1403. sibi radendam, eúmque percontatus, unde oriundus esset: qui reposuit, ex Picardia: Bene est, inquiebat Pontifex; nunc igitur video, Normandos esse mendaces, sæpius enim jurabant, se mihi probè rasuros barbam; jam verò Picardus eam radit. Hic amœnus jocus, tota fuit contra Normandos vindicta, qui eum, prout suprà memoratus Historicus asseverat, indignissimè atque asperrimè, durante captivitate, tractabant. Inde apparet, Benedictum excelsi animi fuisse Virum, non vindicativum, facetum, & semper sui compotem, qui ad omnes adversæ fortunæ ictus obriguit, eô robore, quô invincibilis appellari poterat, animi ejus constantia, si eam cum prodigiosa pertinacia, quæ omnes bonas dotes obscuravit, non conjunxisset.

Mon. Dionys. L. 23. c. 3. Cùm primùm libertati restitutus fuisset, Cardinales, qui ei maximè adversabantur, & ipsi Avenionenses Cives, in ejus gratiam redire satagebant, quam post levem resistentiam obtinuerunt; ea tamen conditione, ut Magistratus, cui non ampliùs fidebat, muros Palatij fractos repararet, in quod forte præsidium suorum Arragonum imposuit. Scripsit eodem tempore ad Regem Galliæ, ad Principes & Universitatem Parisiensem pulcherrimas literas, in quibus primò protestabatur, se paratum esse ad sua promissa implenda de cessione; deinde restitutionem obedientiæ sibi debitæ postulabat: qua de re ingentes exortæ sunt controversiæ. Hanc tamen restitutionem Dux Aurelianensis multis argumentis persuasit Regi, qui eam fieri præcepit, & per totum Regnum obedientiam Benedicto præstandam promulgavit, in quam etiam Universitas tandem consentire coacta fuit; qua occasione Patres Dominicani, antiquis querelis abolitis ab Universitate recepti fuerunt. In ejus obedientiam redijt quoque Regnum Castiliæ, ubi tantam assumpsit authoritatem, ut sinè oppositione ulla, Archi-Episcopatum Toletanum, in

Mon. Dionys. ibid. c. 5. Marian. L. 19. c. 12.

tota Christianitate opulentissimum Petro de Luna Nepoti suo contulerit. Ex his patet, quòd prosperitas, quæ hominem elevat, nunquam ità eum exhilarare debeat, ut metum cadendi adimat, lapsu tantò funestiore, quantò altior erat fortuna: & adversitas, quæ deprimit, nunquam ità prosternere animum debeat, ut spem auferat, favente aliqua mutatione, sortem priorem aliquando recuperandi, cum firmo proposito, meliùs cautiúsque illâ, quàm antehac, utendi. Annus 1403.

Tract. de Puy. Mon. Dionys. ibid. c. 6. & 11. Sed non ità egit Benedictus: vix enim obtinuit, quod tantopere cupiebat; & mox duo suis promissis immediatè contraria commisit. Primò, contra instantes preces Ducis Aurelianensis, cui suam debebat prosperitatem, nunquam confirmare volebat, quæ durante subtractione obedientiæ spoponderat de Electionibus, & Collationibus Beneficiorum, contra manifestum articulum sui Tractatûs. Alterum fuit insignis fraus, quæ tandem detecta in ejus caput recidit, & totam ejus causam evertit. *Ibid.* Scriptò assecuravit Ducem Aurelianensem, & postea per Bullam ad omnes Fideles missam, se paratum esse ad cessionem, ubi expedire videbitur pro pace Ecclesiæ, nimirùm prout mentem suam Duci explicabat, si Competitor suus idem faceret, vel moreretur, vel sede sua pelleretur: in quo Rex Galliæ adeò sibi complacuit, ut exactiones à Clero antea illi prohibitas indulserit, eisque suam protectionem promiserit. Post hæc Benedictus, ut meliùs illuderet, tres Episcopos Romam Legatos misit ad Bonifacium, quasi eum, ùt credebatur, ad pacem Ecclesiæ reddendam viâ renuntiationis, exemplo suo inducere conaretur. Intereà Legati isti Romam circa finem Octobris appulsi, Pontifici Bonifacio & Cardinalib⁹ aliud nihil nomine Benedicti proposuerũt, quàm quod sẽper desiderabat, ut mũdo illuderet, nempe de conferentia in loco securo,

Ep. Innoc. ad Univ. Paris. & Duc. Bituric.

pro

Annus 1403.

pro inveniendis medijs Schisma extinguendi. Bonifacius probè gnarus, quòd Benedictus Tractatu solemni se ad viam cessionis obstrinxerit, clarè videbat, se honore salvo

Annus 1404.

acceptare non posse conferentiam, nisi palàm ostenderet collusionem cum Benedicto, & malæ fidei ejus fraudísque complicem esse. Quapropter videns, quòd Legati constanter assererent, nihil se aliud habere proponendum, & in observantia debita deficerent; adeò contra illos irâ commotus est, jam è calculi doloribus graviter ægrotans, ut illis Româ discedere jussis, febri vehementi correptus fuerit, quæ illum ex hac vita post triduum abstulit, sexagesimo quinto ætatis anno & Pontificatûs quinto.

Niem. L. 2. c. 24. Mon. Dionys. L. 24. c. 24.

Mors tam inopinata spem Legatis faciebat, schismatis in favorem Benedicti, à quo missi fuerant, abolendi, si novæ electionis obtinere possent suspensionem, pro qua rogabant Cardinales; qui desiderium pacis Ecclesiæ testabantur, si Benedictus cessionem promissam exequeretur: petebántque ex Legatis, ut clarè edicerent, an potestatem haberent, ad cessionem faciendam nomine Benedicti, qua peracta, pacem Ecclesiæ factam esse, & electionem novi Pontificis ab omnibus agnoscendi, unanimiter ab utriusque partis Cardinalibus instituendam pollicebantur. Ad hæc Legati magna cum libertate responderunt, se non tantùm hujusmodi potestate carere, verùm etiam nullam esse apparentiam, ut Benedictus quidpiam de jure suo acquisito unquam remittat. Cardinales proinde numerô novem, die duodecimo Octobris in Conclave se contulerunt; & ante electionem omnes jurârunt, quòd qui ex ijs electus fuerit Pontifex, dignitate Pontificali se abdicabit, si Benedictus id pariter ex parte sua præstiterit, prout se ad id obstrinxit. Postmodùm omnes unanimi consensu Cardinalem Bononiensem Cosmatum Melioratum, Patriâ Sulmonensem elegerunt, qui Innocentius VII. nuncupari voluit. Vir erat præstantis intellectûs & insignis doctrinæ, vitæ integerrimæ, quam nulla vitij umbra obscuravit; nisi quòd aliquantùm plus æquo suis cognatis fuerit affectus. Pulcherrimum huic Pontifici attribuit elogium Theodorus de Niem, qui alijs Pontificibus sibi intimè perspectis, dum schismate durante illis serviebat, non parcit, hunc verò mirificè commendat; exceptô, quòd factus Pontifex, non ampliùs ad amplectendam cessionem fuerit propensus, prout in Conclavi promiserat, & exemplô Benedicti, orbi Christiano illuserit.

Ep Inn. VII. ad Univ. Paris. & ad Episc. Florent. ap Raynal.

Contelor. L. de Coll. Cardin. Niem l. 2. c. 24. Platin Ciacon. Onuphr. & alij.

Annus 3404.

Niem. l. 2. c. 39. 41.

Et profectò in hanc suspicionem cadere potuit: nam in literis suis ad Principes missis, nihil de via cessionis memorat, sed solùm de Concilio Romæ instituendo, pro medijs ad pacem Ecclesiæ inveniendis. Præterea Viterbij consultavit, an via cessionis esset amplectenda; quod aliud non erat, quàm in dubium revocare id, quod jam adeò solemniter cum juramento promiserat. Benedictus intereà lusum cum suis Legatis concinnatum prosequebatur ad illudendum universæ Christianitati, ut causam perseverantis schismatis in solum conjiceret Innocentium. Spargebant enim Legati ubique, præsertim in Curia Gallica; quòd postquàm Bonifacio ejúsque Cardinalibus viam cessionis obtulissent, & manibus elevatis genuflexi, ut acceptaretur, obsecrâssent, rejecti fuerint asperrimè, & tanta cum indignatione Bonifacij, ut ex ardore iracundiæ obierit. Addebant, Innocentium adeò parum esse dispositum, ad viam cessionis admittendam, ut nè quidem illos audire dignatus fuerit, & literas pro libero transitu per Magistratum Florentinum petitas, pertinacissimè negaverit. Benedictus ex parte sua pro absolvenda comœdia, auditis in pleno Consistorio Legatis, palàm edixit, ad ostendendum Orbi universo, nihil se pro pace Ecclesiæ procuranda

Ep. Inn. ap. Raynal. Niem. l. 2 c. 38.

Annus 1405.

Mon. Dionys. L. 24. c. 12. J. Juvenal. De Puy.

Litt. Inn. ap. Rayn.

Annus 1405.

omittere, non obstante novi Intrusi duritie, se in Italiam profecturum, pro illo ad hanc pacem conficiendam efficaciter inducendo.

Mon. Dionys. L. 25. c. 1.

Et reipsa, impositis novis Clero Gallicano, pro hoc itinere Decimis, quæ magnas excitârunt querelas, Genuam, quæ tunc Regi Galliæ & Benedicto parebat, pervenit; ubi cum omni honorum genere fuerat exceptus. Paulò post, ut scenam inchoatam continuaret, Tabulas pro libero commeatu à Pontifice Innocentio & novis Legatis postulavit, cum plena potestate de Pace tractaturis: quod tamen Innocentiu, fraudes istas deprehendens, rejec... Verùm Innocentius, qui pro sua defensione scripserat, totam ignominiam, & mala omnia, quibus eum obruere intendebat Benedictus, in ejus caput retorsit. Cùm enim Universitas Parisiensis & Dux Bituricensis conquesti fuissent apud Innocentium de via cessionis Romæ rejecta, quam Legati Benedicti etiam Bonifacio & Cardinalibus Romæ offerebant; Pontifex in suis responsorijs veritatem gestorum in Legatione illa detexit, malámque fidem & imposturam Legatorum atque Benedicti aperuit; quòd nimirùm de cessione nihil unquam, sed de sola conferentia proposuerint, quæ utpotè illusio corrupta & artificium Rivalis, meritò rejici debuit. Hoc magnopere nocuit negotijs Benedicti, qui Cardinalem Sabaudum Legatum ad Regem Galliæ misit; quem magna cum difficultate admisit; cùm passim audiretur, eum nonnisi ad decipiendum venisse. Permissus tamen est in pleno Consilio loqui, ubi sermone latino debillimè peroravit; ità ut ægrè concessum fuerit, eum ab Universitate refutari; quod tamen publicè ac eruditissimè factum est à celebri Doctore Parisiensi Joanne Petit Normando, qui refutatis omnibus, concludebat, tria nomine Universitatis petenda: primò ut Epistola Universitatis Tolosanæ contra subtractionem obedientiæ condemnaretur tanquam injuriosa Regi & Ecclesiæ Gallicanæ: secundò, ut Ecclesia Gallicana liberetur ab exactionibus, quibus iterum opprimebatur: tertiò ut obedientiæ subtractio jam facta, renovetur. Hæc tria puncta post multas in utramque partem contradictiones prolatas, ad supremum Magistratum seu Parlamentum, remissa fuerunt.

Niem. L. 2. c. 38.

Annus 1406.

Mon. Dionys. L. 18. c. 1. 2. 3. J. Juvenal. DePuy.

Ibi causa hæc agitata est die septimo Junij, & die sequenti ab Advocato Generali Joanne Juvenali de Ursinis, Patre Joannis Juvenalis, qui Historiam Caroli VI. Regis Galliæ scripsit, resumpta. Rex de omnibus ritè informatus, praecepit, causam hanc ante omnes alias terminari; quæ tribus articulis ab inclyto illo Magistratu decisa fuit: Primus die decimo septimo Julij damnavit Epistolam Universitatis Tolosanæ. Secundus die undecimo Septembris vetabat, nè, quidquam Collectoribus Pontificis solveretur, neque aurum, neque argentum ad ejus Curiam transportaretur; ut nimirùm Ecclesia Gallicana suis immunitatibus plenè frueretur. Tertius subtractionem obedientiæ ad judicium Prælatorum, quos Rex pro festo S. Martini convocavit, remissus est.

Conventus iste in præsentia Regis Delphini, Principum, & Officialium Coronæ, atque supremi Magistratûs, celebratus fuit. Aderant sexaginta quatuor Archi-Episcopi & Episcopi, Abbates circiter centum quadraginta, & innumerabiles fermè Doctores & Licentiati Universitatum Galliæ, ità ut dici possit, numquam in Gallia fuisse magis augustum & numerosum Cœtum, in quo causa inter Benedictum & Universitatem Parisiensem agitaretur. Pro servando juris & justitiæ ordine, ex unaquaque parte selecti fuêre sex doctissimi Doctores Theologi & Canonistæ. Causa in pluribus sessionibus discutiebatur mensibus Novembri & Decembri: pro & contra subtractionem cum libertate omnia proferebantur. Denique die

vige-

Annus 1406. vigesimo Decembris, Advocatus Generalis, pro Universitate conclusit in causam contra Benedictum: Cancellarius autem nomine Principum, Rege ægrotante, solis Prælatis pro die sequenti conventum indixit, pro magna ista controversia ex pluribus eorum suffragijs per sententiam definitivam terminanda; quæ tandem decidebat: Convocandum esse Concilium Generale pro Reformatione Ecclesiæ in Capite & membris; subtrahendam esse universaliter obedientiam, non agnoscendo Petrum de Luna Pontificem: Ecclesiam Gallicanam interea fruituram suis antiquis immunitatibus, & gubernandam secundùm jus commune, prout in prima subtractione. Desuper Processio Generalis instituta fuit, cui omnes Deputati Conventûs, Principes & Regni Magnates interfuerunt, in gratiarum actionem DEO pro tam gravi negotio terminato. Executio tamen ad tempus aliquod dilata fuit, propter novas, quæ Romæ acciderunt, mutationes, & spem unionis facilioris ac minus violentæ faciebant. Annus 1406.



HISTORIA DE MAGNO SCHISMATE OCCIDENTIS, In Compendium Reducta.

TOMUS II.

Liber IV.

Annus 1406. *Niem. l. 2. c. 39. Leon. Aretin. in Epist.*

DUm in Gallia cum tanta fortitudine procederetur contra Benedictum ad schisma exterminandum, Innocentius Pontifex Viterbiô Romam redux, subitaneo appoplexiæ ictu obiit die sexto Novembris annô septuagesimô ætatis, & secundô sui Pontificatûs. Quatuordecim Cardinales degebant Romæ in ejus obedientia, qui in Conclave die decimo octavo Mensis ejusdem, ante omnia deliberârunt, an ad electionem novi Pontificis, in illo Ecclesiæ statu, procedendum esset? in qua deliberatione duæ erant opiniones. Nonnulli electionem differendam esse censebant, usquedum constaret, quid Gallia, in cogendo ad cessionem Petro de Luna, qui eam in casu mortis sui Competitoris promiserat, effectura esset. Hæc enim si fieret, uti sperandum videbatur, certum dicebant esse, quòd unitis animis, Pontifex communi omnium consensu eligeretur, & ab universo mundo pro vero Pontifice agnosceretur. Alij ex opposito existimabant,

Condolor. in lib. Coll. Card.

ap Ray. Leon. Aretin. Hist. & L. 3. Ep. 3. Niem. L. 2. Ciacon.

Annus 1406.

bant, metuendum esse, nè retardatio ista, utpotè verosimiliter futura diuturna, novarum causa esset perturbationum, præsertim Romæ, & nè Benedictus nullatenus ad cessionem, licèt promissam, dispositus, inde pertinaciæ suæ capiat incrementa, cum spe, quam conceperat, quòd cùm nullus præter ipsum Papa existeret, ille solus tandem ab omnibus agnosci posset.

In hac opinionum diversitate, viâ mediâ procedendum censebatur: Concluserunt igitur Pontificem creandum esse: priùs tamen, die videlicèt vigesimo tertio Novembris Actum authenticum fecerunt, vi cujus, unusquisque Cardinalis juravit super sancta Evangelia, quòd, si eligetur, non solùm abdicabit Pontificatum, in casu quô Benedictus pariter id faciat, verùm etiam per literas illum invitabit ad hanc abdicationem loco & tempore, prout Cardinales expedire judicabunt, faciendam: & nè promissa revocare possit, attestatum hujus voti, & juramenti facti, ad omnes Principes Christianos mittet. Deinde Cardinales, qui hac in re, bona fide agebant, quinque dierum spatio deliberabant, quisnam ex ipsis maximè idoneus his conditionibus videretur eligendus, & qui tanquam procurationem haberet ad resignandum quantocyùs Pontificatum, quem nonnisi in Depositum esset accepturus: & tandem ultimo die Novembris omnes in Cardinalem Sancti Marci Angelum Corarium Nobilem Venetum consenserunt, qui nomen sibi Gregorij XII. imposuit. *Ciacon.*

Erat Venerabilis Senecio annorum circiter octoginta, æquè à sublimi scientia, ac integritate vitæ purissimæ, atque innocentissimæ clarus, quæ in eo semper à tenera juventute in omnibus Officijs, quibus à Pontificibus honorabatur, eluxit; erantque super omnia indolis mitissimæ, & modestissimè ità ut à spiritu ambitionis rat gissimè distare videretur; quod celeupræcipuum Cardinalibus motivũ *Id. ex Anton & Leonard. Aretin.*

ad eum eligendum, nihil dubitantibus, quin Pontificatu pro bono pacis Ecclesiæ, se abdicaturus esset. Et profectò, initiô statim, hanc de sua virtute conceptam opinionem, confirmavit. Nam illico post sui electionem, Actum à se subscriptum, ratum habuit, & ad omnes Romanæ Curiæ Prælatos sermone dicto, testabatur tantum desiderium proficiscendi quantocyùs ad locum designandum, pro negotio tam gravi terminando, & suis promissis implendis; ità ut protestatus fuerit, se deficientibus Triremibus pro itinere maritimo, quemcunque obvium lembum conscensurum; quòd si viâ terrestri alia deessent media, pedibus, solô sui scipionis adminiculô, ad locum destinatum iturum. Scripsit etiam ante suam coronationem ad Petrum de Luna pulcherrimas litteras, in quibus eum ad cessionem unà secum faciendam exhortabatur, nè porrò Ecclesia divideretur, pertinaci proposito non deserendi Pontificatum, & ut illam piam imitetur Matrem, quæ tametsi omninò certa suum esse filium, eum tamen cedere alteri maluit, quàm dividi. Eadem scripsit ad Cardinales Benedicti, & securos per literas circulares faciebat omnes Principes, Prælatos & Universitates, promptum se omninò esse, ad deponendam supremam suam dignitatem pro unione Ecclesiæ, eósque ad conferendam potentiam & authoritatem suam, pro consummatione tam Sancti & necessarij operis, hortabatur. *Annus 1406.* *Niem. l. 3. c. 2.* *Epist. Greg. ad Petr. de Luna Leonar. Aretin. L. 2. ep. 4.*

Benedictus, omnes saltèm apparentias æquitatis ex parte sua affectans, eâdem rescripsit methodo, Sanctas Gregorij laudans intentiones, & ad perseverantiam excitans, asseverando, se ad Schisma, seu viâ cessionis, seu alia quacunque exstinquendum æquè paratum esse; cum desiderio Legatos ejus expectando, cum quibus de loco statuatur, in quo ambo Pontifices cum suis Cardinalibus conveniant. Re ipsa, optimè rece- *Dion. Dionys. L. 26.*

Annus 1407. J. Juvenal Niem. L. 3. Leonar. Aretin. De Puy.

recepit Marsiliæ Legatos, Antonium Episcopum Bononiensem Gregorij Nepotem, & Episcopum Tudertinum, cum Antonio de Butrio celebri Doctore Bononiensi, qui à Gregorio ad Benedictum Deputati fuêre, ad conficiendum hunc Tractatum, quô, post multas controversias, tandem Civitas Savona eo tempore in Ditione Regis Galliæ constituta pro conferentia duorum concurrentium, Festo Sancti Michaëlis, vel tardissimè initio Novembris inchoanda nominata fuit: omnia etiam ritè disposita fuerunt, quæ desiderari poterant pro securitate partis utriusque, viginti tribus articulis comprehensa; hâc superadditâ conditione, quòd si quidpiam in his articulis contentum, impleri non posset Savonæ, quam Benedictus desideravit, iste aliam Urbem à Gregorio eligendam acceptare teneatur. Omnibus ità pro hac conferentia conclusis, in qua duo Pontifices se ipsos deposituri erant, relicta suis Collegijs unitis potestate novum creandi Pontificem, nullum erat ampliùs dubium de Schismate propediem abolendo.

Leonar. Aretin. Mon. Dionys.

Sed sive cupiditas gubernationis, quæ tantum habet illicium, præsertim in Senibus, qui non facilè illam dimittunt, postquam dulcedinem illius degustârunt, Pontificem Gregorium seduxerit; sive teneritudine affectus erga Cognatos, qui eum ex throno, quem ipsi obsidebant, descendere non sinebant, permotus fuerit; certum est, quòd Legati Regis Galliæ ad utrumque Pontificem pro urgenda conventionis executione missi, deprehenderint ambos in Pontificatu permanere velle, & si non colludebant, saltèm eô modô processerint, ut collusionem toti mundo fecerint credibilem.

Mon. Dionys. J. Juvenal.

Nam Legati Galliæ absoluto Tractatu Massiliam venientes, obtinere non poterât à Benedicto Bullam, ratificantem promissa de facienda cessione, prout Rex Galliæ petebat, adversæ promissis interpretationi minimè obnoxiam, quam semper sibi ad eludenda promissa reservabat. Necdum videbatur consultum, subtractionem ab obedientia, in Conventu Parisiensi conclusam, illi intimare, si Bullam negaret, nè videlicet conferentia Savonensis impediretur. Ideoque Legati separati, aliqui apud Benedictum remanserunt, & promissa instanter urgebant, alij verò, cum Legatis Benedicti Romam profecti, Gregorium valde mutatum repererunt. Annus 1407. Mon. Dionys. L. 27. c. 14. & seq.

Dum enim commemoraretur Tractatus Massiliensis ad complenda solemnia promissa, mox renuebat Savonam multis falsis coloribus, quos prætexebat, jam allegando Triremium expensarúmque pro itinere defectum, qui tamen ad iter pedestre se offerebat; jam consensum populorum suæ obedientiæ esse necessarium. Plura alia etiam debiliora proferebantur argumenta variè colorata, maximè verò contra securitatem, quam Savonæ sperare non posset, post ea, quæ Galli, in quorum potestate Urbs illa erat, contra Benedictum egerunt. Quid quid demum dici, vel fieri poterat ad refutandas infirmas ejus rationes, & vanos metus dissipandos, pro omni imaginabili securitate asserenda, contra omnem diffidentiam, quam habebat, vel fingebat; & quamvìs Doctores illi tam viva voce, quàm scriptis doctissimis probarent, eum in conscientia obligari ad Tractatum Massiliensem observandum, & quòd ipsius proprij Cardinales cum permultis Principibus, & urbibus Italiæ] eum rogaverint, cautelásque omnes pro securitate propositas esse rationabiles asseruerint; ipse nihilominus in suo persistebat proposito negativo. Benedictus interea, magis obdurabatur contra Gregorium, quò minùs iste Savonam acceptabat: quod ipsum permultis ingerebat suspicionem de mutua utriusque Pontificis occulta intelligentia ad illudendum universo mundo, dum

Annus 1407. unus in alterum continuationem schismatis conjiciebat.

Sed post breve tempus ambo manifestè omnibus suam prodidêre collusionem. Nam Gregorius, ut hanc à se averteret suspicionem, die nono Augusti Româ discessit; & Senas perveniens, usque ad Festum omnium Sanctorũ ibi moratus est, qui postremus erat terminus Conventionis Massiliensis, ad comparendum Savonæ. Ibi in omnibus Ecclesiis per suos Concionatores Populo promulgari curavit, nullam sibi superesse securitatem Savonæ, imò sibi structas in via esse, ut caperetur, insidias, & quòd in præsenti Ecclesiæ statu, renuntiare Pontificatum nequiret in manus suorum Cardinalium, nisi gregem suum lupis relinquendo, & se periculo damnationis æternæ exponendo. Quantumlibet hanc renuntiationem ipse antecedenter suis Cardinalibus proposuerit, qui hunc in finem in omnia, quæ desiderabat, pro se suisque Nepotibus consenserint; nihilominus, ut mundum ad credendum induceret, quòd omnia ad conferendum cum Benedicto præstaret, usque Lucam initiô anni sequentis processit. *Niem. L. 3. c. 21. & Tract. 4. c. 2.*

Annus 1408. Ex parte altera Benedictus, in fraudibus & deceptionibus doctior, quas bonus Vir Gregorius nonnisi secretis condiscebat prælectionibus Benedicti, simulabat, se quoque de suo jure quoad Savonam velle remittere: conscensis proinde Triremibus Genuensibus usque ad Portum Veneris appulit, quasi cum Gregorio de alio conferentiæ loco acturus. Sed postquàm satis diu per suos Legatos actum fuisset, inter quos semper aliqui ex utriusque parte secreti consilij erant consocij, ad nihil sive de loco sive de conditionibus concludendum, omnia tandem in reciprocas desierunt ad continuandam scenam accusationes per literas, quæ palàm ad id fabricatæ apparebant, ut fucum facerent & populis illuderent, metum utrinque de industria fingentes. Illud autem *Niem. L. 3.*

extremè irritavit omnes Gregorij Cardinales, qui contra eum insurrexerunt, quòd nimirum contra suam promissionem juramentô firmatam de non creandis novis Cardinalibus durante unionis Tractatu, nè hac ratione difficilior redderetur concordia, quatuor nihilominus, obsistentibus omnibus antiquis, creaverit. Cúmque vidisset eos apertè indignari, prohibuit illis sub pœna privationis Cardinalitiæ dignitatis, nè Lucâ discederent, vel ullatenus quocunque prætextu simul conferrent, vel cum Legatis Galliæ aut Petri de Luna, ullum haberent commercium. Annus 1407. *Spond. ad hunc ann.* *9. Maji. Niem. L. 3. Niem. Union. Tract. 6. Leonar. Aretin. L. 2. ep. 15.*

Tum enim verò Cardinales, inter quos erat Otho Columna, qui postea in Concilio Constantiensi electus est Pontifex, nihil porrò dissimulandum esse judicârunt; & persuasi, quòd ità procederet, ut se contra suum æmulum & contra illos ipsos, qui eum indesinenter sollicitabant ad observandum Tractatum Massiliensem, roboraret, & pacem Ecclesiæ impossibilem efficeret, quæ sinè commercio cum Legatis promoveri non poterat, tandem Lucâ se subduxerunt, & Pisas contulerunt, protegente & brachijs apertis illos recipiente Urbis Magistratu. Quia verò illis reditum cum gravibus minis præcipiebat, Actum Authenticum illi pro justificatione sui recessus miserunt, in quo magna cum veneratione contra illum ab omnibus, quæ contra illos acturus esset, appellabant ad illum ipsum, æquiùs processurum, & tandem ad JEsum-Christum, qui eum coram tribunali suo judicaturus esset, in Concilio Generali, quod Judicem esse in hac vita Pontificum dicebant; atque ad futurum Pontificem canonicè eligendum, qui sui Prædecessoris corrigere posset defectus. Scripserunt præterea ad omnes Principes Christianos & Prælatos literas circulares, quibus, reddita gestorum suorum & Gregorij ratione, quem de violatis promissis juramentô firmatis *12. Maji* *Apud Niem. Tract. 6. Raynal.* *14. Maij.*

Annus 1408.

matis pro pace Ecclesiæ procuranda accusabant, tandem asserebant, se Pisas non convenisse, nisi ad collaborandum, prout vi juramenti sui tenebantur, pro gravi hoc negotio, cum Legatis Galliæ, Deputatis Universitatis Parisiensis, & omnibus alijs, qui eò à Regibus, Principibus & Prælatis venturi sunt, ad opus tam necessarium pro bono & salute æterna omnium Christianorum, consummandum. Cùmque Gregorius fulmina in eos vibrare non cessaret; illi diversis in locis Lucensis Urbis novum Actum Appellationis affigi curârunt, in quo absque illo, quod in priore adhibuerant, moderamine, eum apertè tanquam deceptorem, perfidum, perjurum, schismatis fautorem, & hostem tranquillitatis Ecclesiæ tractârunt.

Niem. L. 3. & Tract. 6.

Benedictus interea haud felicior erat in Gallia, ubi Rex deprehensa manifesta duorum Pontificum collusione, publicari jussit, ad instantiam Universitatis, suas literas; ubi expositis hactenus à se pro Ecclesiæ tranquillitate gestis, & impedimentis interjectis à duobus pro Pontificatu concurrentibus, declarabat, quòd juxta conclusa Parisiis in Cœtu Generali Ecclesiæ Gallicanæ, integra obedientiæ subtractio instituenda sit, & neque Benedictus neque Gregorius pro Veris Pontificibus sint agnoscendi, si Festô Ascensionis Domini, quod hoc anno in diem vigesimum quartum Maij incidebat, reunio Ecclesiæ voluntaria cessione horum Pontificum facta non fuerit: deinde hortatur omnes Reges, Principes, Respublicas, & Prælatos Europæ, ad quos literas suas direxit, ad collaborandum efficaciter, pro reuniendis omnibus Christianis sub uno solo capite, tanquam unico indubitato Sancti Petri successore. Præterea misit quosdam Dominos, ad Portum Veneris, qui hanc ipsam resolutionem Benedicto intimârunt; sed iste actione nova se in totalem præcipitavit ruinam. Fingebat enim se querulari de tam rigido contra se procedendi modo per literas, die decimo octavo Aprilis, quas ad Regem Galliæ, tanquam Pater ad Filium scripserat; & in eodem fasciculo ejus ablegati, præsentârunt Regi, quin statim observaretur, Bullam ante unum annum signatam, in qua repertum est, quòd excommunicarentur omnes, qui unionem, pro qua laborabatur, impedirent, séque suis bonis opponerent intentionibus, sive appellantes à suo Tribunali, uti eventualiter fecit Universitas Parisiensis, sive subtractioni obedientiæ faventes, licèt Imperator aut Rex foret, eorúmque Ditiones omnes interdicto subjiciebat, & subditos eorum à juramento Fidelitatis absolvebat.

12. Januar. apud Niem. Tract. 6. Gers. t. 1. Mon. Dionys.

Mon. Dionys. l. 28. c. 1. J. Juven. de Puy.

Rex ad hoc attentatum vehementer obstupescens, Consilium convocavit, cum nonnullis famosis Doctoribus Universitatis, qui Regis implorabant justitiam, in pleno conventu, Mense Majo, præsente Rege in suo Throno sedente, Principibus omnibus & Regni Magnatibus ex parte dextra, è sinistra verò Archi-Episcopis, Episcopis, Abbatibus, præcipuis Ecclesiasticis, ac Deputatis Universitatis. Ejus Rector locum habuit in elevata sede, è Regione Regis in aulæ medio; & Doctori Joanni Courtecuisse demandavit, ut nomine Universitatis loqueretur; qui prolixè peroravit, & demonstravit omnia Benedicti gesta, quibus unionem Ecclesiæ impediebat, fidem toties datam violabat; uti etiam iniquitatem & nullitatem Bullarum; easque lacerari petebat; illos verò, qui eas afferre præsumpserunt, cum suis complicibus severè puniri.

Mon. Dionys. l. 28. c. 2. 3. 4. J. Juvenal.

Tum Cancellarius, jussu Regis edixit, à sua Majestate approbari cuncta, quæ à Doctore prolata sunt; & Secretarius, qui Bullas tenebat, eas discissas, ad pedes Rectoris projecit, qui eas elevans, in frustrà coram omnibus dilaceravit. Sancius Lupus Nobilis Arragon, & Cursor Ca-

Mon. Dionys. de Puy.

Annus 1408. Castellanus, qui eas in Gallias attulerunt infamiâ notati sunt more illorum temporum, & in atrio Palatij inque Propylæo Ecclesiæ Beatissimæ Virginis, albis tunicis per ludibrium induti, cum depictis & inversis Petri de Luna gentilitijs armis. Nonnulli Ecclesiastici, & Prælati tanquam eorum complices accusati, incarcerati, & ab officiis depositi, summa cum difficultate dimissi fuerunt. Denique die Ascensionis Domini subtractio obedientiæ per totum Regnum, & neutralitas, solemniter promulgata est Parisiis. Postmodùm Rex & Universitas Parisiensis scripsérunt ad Cardinales Gregorij, exhortando illos, ut se quantocyùs cum Cardinalibus Petri de Luna conjungerent, Rege suam illis protectionem promittente.

Niem. Tract. 6. c. 14. 15.

Hoc terribili fulmine Benedictus è suo Throno deturbatus, metuens nè in Portu Veneris caperetur, conscensis velociter Triremibus cum suis quatuor Cardinalibus, in Gallias venire non ausus, Perpinianum navigavit, ubi duodecim Cardinales creavit, ut Curiam haberet Pontificiam: & ut adhuc pacem se velle ostenderet, Concilium convocavit, Menséque Decembri celebravit: ubi certè satis multi comparuêre Prælati, de illius obedientia residui, plerique Hispani, Arragones & Castellani: sed dum sibi consentire non possent, ferme omnes, nihil concludendo, discesserunt; octodecim tantùm remanentibus, qui Benedictum obtestabantur, ut suos Pisas mitteret Nuntios, qui suo nomine Pontificatum pro bono pacis resignent, si ejus concurrens, ad id compelleretur; & intereà efficaciter provideret, nè illo mortuo ante unionem, schisma continuetur. Benedictus, quem promissa nihil, ut mundo illuderet, constabant, cuncta se facturum, etiam scriptò promptissimè pollicebatur, cum firmo, nihil præstandi, ùt in more habuit, proposito.

Niem. l. 5. c. 36. 37. Surit. l. 5.

Ex altera parte Gregorius pariter celebrare volebat Concilium, contra illud, quod contra se instituendum prævidebat: illúdque in Provincia Aquilejensi pro Pentecoste anni sequentis convocavit. Cúmque Romam reverti non auderet, ubi omnia Ei adversabantur, propter collusionem cum Ladislao, ùt dicebatur, usurpatore magna ex partè Patrimonij Ecclesiæ, Senas reverti coactus est, ad breve tempus admissus, ubi rursus novem Cardinales creavit, postquàm residui antiqui eum deseruissent, & Pisas ad alios, & inde Ligurnum transivissent, ubi plerique Cardinales Petri de Luna, pacem Ecclesiæ quærentes, adfuerunt.

Annus 1408. Niem. l. 3. c. 36. & Tra. 6 c. 42. Mon. Dionys. l. 28. c. 5. Niem. Tract. 6. c. 43.

Ibi non obstantibus omnibus excommunicationibus duorum Pontificum, quæ frustrà fulminabantur, seriò tractare cœperunt omnes Cardinales de medijs efficacibus ad schisma exterminandum. Quia verò, via cessionis unanimi consensu electa sperari ampliùs non poterat, visâ obstinatione atque collusione manifesta duorum concurrentium, in hoc convenerunt: ad Ecclesiam in Concilio Generali repræsentatam, pertinere illos ad cessionem cogere, vel authoritate suprema deponere, ad eligendum Pontificem, de quo dubitari non posset, quin verus esset Pastor & verum caput Christianorum. Solùm restabat difficultas, qua nimirum authoritate Concilium Generale convocandum esset, cùm potestas Spiritualis ad Pontifices spectaret, Decretis Concilij authoritatem tribuendi. Sed casus iste jam resolutus erat à Celebrioribus Universitatibus, præsertim à Parisiensi & Bononiensi. Cùm enim incertum esset, uter duorum verus esset Pontifex; & certò constaret, illos unanimi consensu convocationem Concilij non esse facturos, unus verò seorsim ab altero eam indicere non posset, utpote nonnisi ab aliqua parte Ecclesiæ agnitus; & denique cùm nonnisi de schismate exstirpando ageretur, quod ambo se procuratu-

Niem. l. 3. c. 38. Mon. Dionys. l. 28. c. 8.

Niem. Tract. 8 Anton. T. 22. c. 5. Cod. Vict. apud Spond.

Annus 1408. caturos viâ cessionis cum juramento promiserant; ideo conclusum est, quòd duo Cardinalium Collegia unita, illud in casu isto convocare possint de consensu majoris partis Principum, Prælatorum & Fidelium, qui ipsi cùm essent Ecclesia seu Congregatio Christianorum, potestatem haberent, in præsenti casu, Cardinalibus ad hunc effectum jus conferendi, eósque ad hunc effectum idoneos reddendi.

Niem. L. 3. c. 38. Hoc ità concluso, die decimo quarto Julij, duo Cardinalium Collegia congregata, indictionem Concilij Generalis utriusque obedientiæ, decreverunt pro die vigesimo quinto Martij anni sequentis, Pisis celebrando, consentientibus Florentinis, quibus famosa illa Civitas Pisana parebat. Literas hujus Indictionis miserunt ad omnes utriusque obedientiæ Principes, & Prælatos Christianitatis, eósque ad Concilium invitabant, quod Rex Galliæ illico acceptavit. Duo Cardinales missi fuêre Senas, ad citandum Gregorium, qui cùm eos non admitteret, Citationem ad portas magnæ Ecclesiæ affigi curârunt; Cardinales Benedicti, pariter illum citârunt per literas valde officiosas, obtestando magna cum veneratione, ut suâ præsentiâ Concilium honoraret, vel certè suos Procuratores, cum potestate, suo nomine cessionem faciendi, pro qua etiam rogatus jam esset Gregorius, deputaret. Henricus Lancastriæ, Rex Angliæ convocationem Concilij cum omni veneratione recepit, suósque misit Legatos, celebres Universitatis Oxoniensis Doctores, qui per Parisios Pisas proficiscentes, cum honore accepti fuêre præsertim ab Universitate, quæ illos per suos Deputatos salutavit, eísque famosus Joannes Gerson Cancellarius Universitatis Parisiensis, post laudatum eorum pro unione Ecclesiæ procuranda zelum, demonstrabat, quòd Ecclesia se ipsam congregare possit, in tali occasione, idque justissimum atque omnino necessarium esse; & quòd Concilium eam repræsentans, potestatem habeat Pontifices in certis casibus deponendi, maximè verò, quando certitudo de vero ex pluribus Pontifice haberi nequit, & in Schismate, quod aliter interminabile maneret, nisi per cessionem vel depositionem exstinquatur.

Niem. ibid. Spicileg. t. 6. p. 325.

Walsing. in Honor. 3.

Gers. t. 1. p. 890.

Cardinalis Landulphus de Bary venerat in Germaniam ad Diætam Francofurtensem, ubi Robertus Imperator, Archi-Episcopi Moguntinus & Coloniensis, plerique Imperij Principes & Prælati erant congregati, cum Legatis Galliæ atque Angliæ ad deliberandum de indictione Concilij. Ibi contra omnes conatus Cardinalis Antonij Corarij, qui erat Nepos Gregorij, Landulphus adeò patheticè pro causa Ecclesiæ peroravit, quæ infelicissimè ultra annos triginta dividebatur, Schismate nonnisi per Concilium exstinguibili, ut omnes indictionem Concilij, unanimi consensu approbaverint, exceptô Robertô, qui ut Gregorio gratificaretur, nunquam consentire voluit. Una ex fortissimis, ad negotium hoc promovendum, causis, erat deplorandus, & cruentus hujus magni Schismatis effectus, aliud videlicet Schisma Leodiense, quod succinctè referemus.

Niem. L. 3. c. 39. Gobell. in Cosmod. De Puy.

Leodienses initiô Schismatis in obedientia Urbani VI. ejúsque successoris Bonifacij manebant, usque ad subtractionem obedientiæ Benedicto in Gallia factam, quô tempore desertô Bonifaciô, neutri adhærebant. Habebant Episcopum Joannem Bavarum, Filium Alberti, & Nepotem Imperatoris Ludovici Bavari, fratrem Guilielmi Comitis Hannoniæ, Hollandiæ & Frisiæ. Hic juvenis Princeps, qui abusu illorum temporum satis usitato, statum Ecclesiasticum non assumpsit, nisi ut bonis frueretur Ecclesiasticis fortunam in sæculo meliorem exspectans, presbyteratu initiari nolebat, licèt jam annos ætatis vigintiquinque numeraret: Ecclesiam su-

Mon. Dionys. l. 28. c. 6. 13 c. 14. Magn. Chron. Belg. Gest. Pontif. Leod. in Joann. Bavar. c. 4. & seq. Meyer. L. 13. Vid. Spond. ad ann. 1406. n. 88. & Chr. Leod.

Annus 1409. am nihilominùs & ditionem prudenter atque pacificè gubernabat,
1398. ità ut in Eo nihil reprehendi potuerit. Sed post quinquennium ma-
1403. gna seditiosorum & rebellium factio, mutationem Domini cupientium, in eum consurrexit, eô prætextu, quòd ipsorum Episcopus ætatem annorum triginta assecutus, & Ordinem Presbyteratus atque consecrationem differret. Princeps reponebat à se de hoc non suis subditis, sed Pontifici dispensanti rationem esse reddendam. Replicabant pervicaces illi, dispensationem hujusmodi esse irritam, utpote à Pontifice, cujus obedientiam ipsi Leodienses, & ipse Princeps repudiarunt, provenientem. Desuper arma corripuerunt, & Episcopum suum Trajectum abire coëgerunt. Tranquillitate aliquatenus reducta, pro nova dispensatione obtinenda, cum toto suo Clero Pontifici Romano Innocentio VII. se submisit. Hac
1405. occasione arreptâ, Urbs tota & Provincia denuo insurrexit contra Episcopum, quòd Episcopus tanti momenti negotium, absque consensu Magistratûs, ad opprimendam subditorum libertatem, aggressus fuerit; ità ut rebellio in apertum bellum eruperit, cujus Ductorem & Protectorem rebellis populus elegit præcipuum illius Provinciæ Dynastam Henricum de Pervis, quem Joannes Bavarus multis & magnis cumulaverat beneficijs, qui etiam Spartam à rebellibus oblatam ea conditione acceptavit, ut filium suum Theodoricum, viginti annorum juvenem eligerent Episcopum. Hac electione facta, cùm schismatica fuerit, sperarique non posset Romana confirmatio, eam Leodienses à Benedicto postularunt, qui de hac occasione gavisus, Legatum suum ad confirmandum novum Electum misit. Atque ità schisma generale, novum aliud particulare peperit, ubi eodem tempore duo ejusdem Ecclesiæ Episcopi, singuli suum pro se habentes Pontificem visebantur, Joannes Bavarus Romanum, & Theodoricus Avenionensem. Et cùm ferme omnes Ecclesiastici, maximè Canonici Sancti Lamberti, & nonnulli magis in Urbe conspicui, ab hoc schismate abhorrentes, antiquo suo adhærerent Episcopo; exprimi non possunt horrendæ injuriæ illis, qui Eum sequebantur, à Leodiensibus rebellibus illatæ: duobus ferme annis durârunt perturbationes, & confusiones, ità ut Episcopus Joannes Bavarus, imploratis cognatorum, & confœderatorum suorum auxilijs, rursus Leodio migrare, atque Trajectum se recipere compulsus fuerit; ubi Rebelles cum exercitu quinquaginta ferè millium hominum, armatorum Eum obsederunt. Sed Joannes Burgundiæ Dux, Joannis Bavari affinis, suis copijs collectis, non solùm ab obsidione rebelles repulit, verùm etiam posteà præliô, miseros clade horribili totaliter delevit. Dominus de Pervis Generalis Rebellium Ductor, ejúsque filius Theodoricus Neoelectus inter occisos, lanceâ confossi & se invicem manibus tenentes, reperti fuerunt: ità ut ex cruenta illa clade rebellium, nè unicus remanserit, qui nuntium perferre potuisset Leodium.

Illud ipse deportavit Burgundiæ Dux Victor; nam redditis DEO pro victoria gratijs in campo conflictûs, ubi affinem suum Joannem Bavarum de Victoria cum officiis congratulationis, & bona Equitum turma venientem excepit, prope Leodium venit, & Leodiensibus significavit, se illis indulgere, ut suos mortuos sepelirent. Tum miserabilis populus in Processione cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento egressus, ad pedes Principis Victoriosi procidens, cum lamentabilibus clamoribus misericordiam implorabat, quam tandem impetravit, his, inter alias durissimas, conditionibus, ut authores omnes Rebellionis extraderent, qui omnes numerô sexaginta trucidati fuerunt; quòd privilegijs,

Marginal notes: Annus 1409. — Magn. Chron. Belg. — Suffrid. de Ep. Leod. c. 6. — Magn. Chron. Belg. Monach. Dionys. l. 28. c. 130. — Haraeus Ann. Duc. Brab. in Ant. Burg. — Magn. Chron. Belg. — Mon. Dionys. c. 14.

Annus 1409.

Magn. Chron. Belg.

gijs & immunitatibus omnibus exuti, solis illis deinceps fruentur, quæ illis ex mera gratia ipsorum Episcopus indulgere dignabitur. Postmodùm è ponte, in Mosam fluvium dejectus est Legatus Pontificis Benedicti, uti etiam Officiales Episcopi Theodorici Intrusi, populo illos innumeris maledictionibus, tanquam malorum omnium authores & architectos impetente. Talis fuit infaustus exitus schismatis Leodiensis, qui erat effectus illius, quod universam dividebat Ecclesiam. Propterea omnes Principes in Diæta Francofurtensi congregati, tam horrendo spectaculo hujus cruentæ Tragædiæ, quam tribus mensibus è propinquo intuebantur, conterriti, & metuentes nè quidpiam simile in Germania ex infelici schismate nasceretur, Concilium Pisanum, invito Imperatore, approbarunt. Legatus proinde Sacri Collegij, cum hac approbatione rediijt, & Concilium Pisanum die assignato, nempe vigesimo quinto Martij inchoatum est.

Concil. Pisan. in Cod. Gemmi. c. 2. Spicileg ex Cod. Vatic. apud Raynal.

Fuit hic Cœtus, qualem à longo tempore non habuit Ecclesia. Aderant enim viginti duo Cardinales, quatuor Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, Jerosolymitanus & Gradensis, duodecim Archi-Episcopi præsentes, & quatuordecim aliorum Procuratores, octoginta Episcopi, & centum duorum absentium Procuratores, octoginta septem Abbates, inter quos Cistercij, Clarævallis, Grammontij, Camaldulensis, Vallis umbrosæ, pro Monasterijs suorum Ordinum; Procuratores ducentorum duorum Abbatum absentium, inter hos, Procuratores Abbatum Præmonstratensis, Sancti Antonij Viennensis, nomine suorum Ordinum; Priores quadraginta & unus, inter quos, Joannes de Griffomont, Joannes Triel, & Dominicus, Priores Cartusiarum Parisiensium; de Bourgfontaine & Sancti Bartholomæi prope Genuam pro ordine Carthusianorum, quorum

Annus 1409.

Ex M.S. Carthus ex Cod. Vatic. & Gemmitic. Mon. Dionys.

Generalis eo tempore apud Benedictum, antiquum suum amicum eò vocatus, morabatur, eúmque omnibus conatibus, sed inutiliter, ad unionem inducere conabatur. Visebantur illic Generales Dominicanorum, Franciscanorum, Carmelitarum & Augustinianorum; Magnus Magister Rhodius, cum sedecim Commendatoribus, Prior Generalis Equitum Sancti Sepulchri, Procurator Generalis Equitum Teutonicorum nomine sui Magni Magistri totiúsque Ordinis: Deputati Universitatum, Parisiensis, Tolosanæ, Aurelianensis, Andegavensis, Monspeliensis, Florentinæ, Cracoviensis, Viennensis, Pragensis, Coloniensis, Oxoniensis, Cantabrigensis & quarundam aliarum; Deputati verò Capitulorum, Ecclesiarum Metropolitanarum & Cathedralium plures quàm centum: supra trecentos Doctores Theologiæ & Canonum: denique Legati Regum Angliæ, Galliæ Lusitaniæ, Bohemiæ, Siciliæ, Poloniæ & Cypri: Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, Lotharingiæ, Bavariæ, Pomeraniæ, Marchionis Brandeburgiæ, Landgravij Thuringiæ, & omnium ferme Principum Germaniæ; præterquàm quòd Reges Hungariæ, Sveciæ, Daniæ, atque Norvegiæ, qui adhuc aliquo tempore, tametsi leviter, pro Gregorio stabant, Eum paulò post deseruerint, & Concilio adhæserint.

Mon. Dionys. l. 29. c. 1. Codic. Gemitic. 187.

Apertum est hoc Concilium die Lunæ Annuntiationis Beatissimæ Virginis Processione solemni, ubi omnes Cardinales, & Prælati Pontificalibus induti, ab Ecclesia Sancti Michaëlis, usque ad Metropolitanam procedebant, & postquàm singuli sua subsellia per totam, pulchram & speciosam navim magnæ illius & magnificæ Ecclesiæ, disposita, occupassent, ordine in Concilijs usitato, Missam de Spiritu Sancto cecinit Cardinalis Pictaviensis Decanus utriusque Collegij à Gregorio XI. ante schisma creatus; Prælatus, quem

Annus 1409. quem insignes virtutes, cum singulari doctrina, & consummata prudentia, digniorem reddiderunt, quàm ejus antiquitatis prærogativa, ut Concilio isti præsideret. Sermone finito, quem præclarus Doctor ex Ordine Sancti Dominici pronuntiavit, cùm jam serò esset, reliqua in diem sequentem dilata fuerunt, ubi post Missam à Cardinali de Viviers celebratam, & sermonem à Cardinali Mediolanensi pro majori splendore sessionis habitum, Cardinales & Prælati sericeis cappis diversorum colorum induti, cum mitris albis preces inchoarunt ritu peculiari in hoc Concilio, quem breviter hic referre libet.

Post aliquas Antiphonas decantatas, & Diacono intonante *Orate*, omnes in genua prociderunt, capite usque ad terram inclinato, unoquoque secretò per spacium Psalmi *Miserere* orante. *Mon. Dionys.* Hæc oratio terminata est per Collectam ab uno Cardinali decantatam, Antiphonam verò ab eodem inchoatam, Chorus Cantorum & Capellanorum prosequebantur, *Act. Codic. Gemmitic.* tum Diaconus & Subdiaconus alta voce Litanias inceperunt, omnibus ùt antea inclinatis, & respondentibus: in fine unus Cardinalis Episcopus quasdam orationes dixit ad petendam à DEO unionem Ecclesiæ; quibus finitis alius è Cardinalibus Diaconis Dalmatica indutus, Evangelium legit, quod stando magna cum devotione audiebatur. Post hæc Cardinalis Episcopus intonuit hymnum: *Veni creator Spiritus*; qui à toto Cœtu in terram prostrato, decantabatur; in fine post decantatas ab eodem Cardinali Episcopo aliquas orationes, Diaconus alta voce cantavit: *Erigite Vos, & surgite*: tum omnes surgentes, quisque suum capessivit subsellium: & hæc ordinariè fiebant, omnibus diebus, quibus Concilium conveniebat.

Finitis hujusmodi precibus, electi fuêre Officiales Concilij, inter alios unus Advocatus, qui exaggeratis collusionibus, & obstinatione duorum pro Pontificatu Concurrentium, conclusit, illos declarandos esse Contumaces; quod unus è promotoribus postulavit. Sed, pro Juris ordine servando, tribus adhuc diebus illi citabantur per duos Cardinales, ad portam Ecclesiæ, cúmque nemo pro eis compareret Cardinalis Pictaviensis contra illos sententiam pronuntiavit, eos Contumaces declarando. Annus 1409.

Die decimo quinto Aprilis, quo sessio quarta celebrabatur, Cardinalis Landulphus de Bary, ex Legatione Germaniæ redux, cum magno Prælatorum numero advenit, & Sessioni interfuit: *Niem. l. 3. c. 39. Mon. Dionys. l. 29. c. 2.* introductus etiam est Archi-Episcopus Rugiæ, Episcopus Wormatiensis, & Electus Werdensis, quos Robertus Imperator, cum nonnullis Doctoribus primò ad Pontificem Gregorium, deinde ad Concilium, pro defendendo hoc Pontifice miserat. Non audiebantur hi nisi tanquam simplices Missi à Roberto Bavaro, quia hic Princeps non agnoscebatur universaliter pro Imperatore, multis non approbantibus, quòd Wenceslaus hac dignitate augusta spoliatus fuerit, quamvis eâ se indignum reddiderit. Electus Verdensis, qui pro Gregorio perorabat, aliud in sua oratione non protulit, quàm viginti quatuor quæstiones, quæ totidem continebant objectiones, contra ea, quæ Cardinales adversùs Gregorium egerunt. *Act. Cod. Gemiti. t. 6. Spicil. & t. 11. Concil. Edit. Paris.* Videri possunt in Actis Concilij, cum responsis brevibus in margine additis. Majoris considerationis erant sequentes.

Primò: An Cardinales se subtrahere possint obedientiæ illius, quem pro vero Pontifice agnoverunt? Responsum: In tali schismate, quale hoc est, ubi duo Pontifices notoriè fovent divisionem, & schisma, differendo semper, suis artificijs viam cessionis exequi, ad quam juramentô se obstrinxerunt, non solùm potest, verùm etiam debet fieri subtractio, etiam antequam judicialiter depo-

Annus 1409.

deponantur: aliàs enim pro suo arbitrio schisma protrahere possent, cum ingenti Ecclesiæ totius detrimento, prohibendo, suæ obedientiæ adhærentibus, congressum pro efficaci remedio tanti mali procurando.

C. VI. Qu. VII. sanè *Gloss. in cap.* Sacerdot. *II. Q. VII. Gloss. in cap.* Cùm non liceat. *C.* Si Rebus. *XXIII. Q. VII. XXIV. Q. I.*

Secundò: An Cardinales convocare possint Concilium Generale? Responsum: affirmativè, in circumstantijs præsentibus, & similibus; cùm alioqui Schisma terminari non posset.

Tertiò: An Cardinales, qui sunt inimici, & partes tenent duorum Pontificum, illos citare possint? Resp. Dum collusio est manifesta, neque inimici sunt, neque partes, sicut nec alij, qui se illis subtraxerunt, prout fieri oportebat in præsenti casu, ubi ad Concilium pertinet, decidere quid facto opus sit.

Quartò: Cùm unum è duobus Collegijs sit verum, & alterum falsum; quomodo se unire possunt, & quam potestatem habent se invicem habilitandi ad eligendum Pontificem? Responsum. Ex juramento quod in Conclavi præstiterunt, se nimirùm facturos quidquid poterunt ad exstinquendum Schisma; manifestum est, quòd se unire potuerint, cùm hoc sit verum medium, & pro tanto bono obtinendo, etiam juxta Canones unire se poterant cum excommunicatis. Quoad habilitatem Cardinalium, alia non esse opus, quàm quæ provenit ex consensu Ecclesiæ; imò etiam pro eligendo Pontifice, Cardinales possunt sibi associare nonnullos, qui nullum jus habent ad electionem, eósque reddere possunt habiles ad hunc effectum.

XI. Q. III. Antecess. C. Licet de Elect. & Cler. Rom.

Post hæc dubia proposita & soluta, vehementer invehebatur in Cardinales Gregorij; asserens, quòd ab Eo se iniquè separaverint, & in fine, nomine sui Imperatoris Roberti, petebat, ut Concilium in aliam Urbem transferretur, ubi Pontifex compariturum se promittebat securitate habita, & spontaneè Pontificatui renunciaturum. Sed cùm id non esset aliud, quàm quòd Gregorius toties dicebat, ut Conferentiam Savonensem evitaret, Concilium nihil dubitabat, quin hoc artificium ab illo proveniret, quo illud dissolveret. Nihilominus responsum est Legatis, quòd, si quæ voce protulerunt, & potestatem suam, quam à suo Domino tenent scriptò, exhibuerint, omnia maturè perpendentur, & desuper respondebitur. Carolus Malatesta Dominus Civitatis Ariminensis, ad quam Gregorius Senis se receperat, advênit, & idem petebat, eô prætextu, quòd Pisana Civitas esset Gregorio suspecta. Sed tot argumentis demonstrata illi fuit hujus prætextûs falsitas, & quòd in illo statu rerum nulla spes affulgeret, ad Urbem Pisanam deserendam; quam omnes Prælati, omnésque Principes Imperij, pauculis exceptis, acceptârunt, ut nihil reponere valuerit. Legati Imperatoris Roberti satìs habuerunt, quòd suam protestationem contra Concilium in portis Ecclesiæ Majoris affixerint, cujus tamen nulla habita est ratio; & non salutatis Patribus discesserint, neque responsa expectaverint, quæ, ùt manifestum erat, accipere nolebant, cùm pridie quàm illis respondendum erat, abiverint.

Mon. Dionys. L. 29. c. 2.

Ibid. & Act. Maxent. apud Spond.

Mon. Dionys.

Hæc tamen responsa publicè data sunt oretenus per Eruditum Franciscum Episcopum Diniæ, qui in suo sermone, coram Concilio in Ecclesia Sancti Martini, die vigesimo primo Aprilis habito, cuncta illa dubia dilucidè solvit; quod priùs etiam in duabus alijs sessionibus, ubi numerosius erat Concilium, fecit. Circa hoc tempus primò advenerat Simon de Cramaud, Patriarcha Alexandrinus cum suis Collegis Legatis Galliæ; exceptô Episcopô Meldensi, qui ab initio Concilij aderat; paulò post etiam appulerunt aliorum quorundam Principum Legati, nimirum Electorum Moguntini, & Coloniensis, Brabantiæ, Hollandiæ, & Leodiensis. Patriar-

Annus 1409. triarchæ locus datus est inter duos antiquissimos Cardinales, ejus verò Collegis Petro Fresnel Episcopo Meldensi, & Doctori Ægidio de Champs Episcopo Constantiensi, & Regis Confessario, in eodem latere penes sanctæ Ecclesiæ Camerlingum; Legati quoque Angliæ eodem tempore advenientes, quorum primus erat Robertus Alun Episcopus Salisburiensis, à sinistro latere sedebant.

3. Maij Tum famosus Doctor Canonum & Professor in Universitate Bononiensi Petrus de Ancharano ambonam conscendit, omnésque objectiones Electi Verdensis doctè refutavit, & ostendit, qualis esset authoritas sacri Concilij in hac occasione, ad Schisma penitus exstirpandum, & ad procedendum contra duos pro Pontificatu concurrentes, qui se pertinaciter contra juramentum suum, in sua quisque obedientia conservare nituntur; quod etiam post quatriduum egit insignis doctrinæ Vir Patriarcha Alexandrinus magno cum robore atque eloquentia, dum
8. Maij. post Missam Pontificalem, quam coram Concilio celebravit in Ecclesia Sancti Michaëlis, die Apparitionis hujus Arch-Angeli, sermonem habuit, & probavit, contra propositiones Legatorum Roberti, quòd omnia, quæ Cardinales invicem uniti contra duos competitores egerunt, jure & secundùm Sacros Canones agere potuerint, pro tanto bono Ecclesiæ universalis, & hæc eorum acta Concilium omnino confirmare debeat. Quod ipsum synodus post biduum fecit, declaravítque præterea per eundem Patriarcham oretenus, quòd Concilium hoc à Cardinalibus convocatum,
10. Maij. sufficienter repræsentet Ecclesiam universalem, habeátque authoritatem
Act. Cod. Gemmiti. supremam pro abolendo schismate, unum solum caput Ecclesiæ conficiendi, eóque nullam in terris esse potestatem superiorem. Quia verò nonnulli aderant Cardinales Benedicti, qui tametsi cum alijs se conjunxerint, nondum tamen ejus obedientiæ renunciârunt, ideò Episcopus Salisburiensis, demonstravit, priusquàm ulterius procedatur,
Ibid. Mon. Dionys. necessarium esse, subtractionem generalem fieri, à Concilio decidendam, quæ etiam post dies ali-
22. Maij. quot legaliter decisa, & promulgata fuit; atque illâ Fidelibus omnibus præcipiebatur; denique acta omnia duorum concurrentium, seu præterita, seu futura contra hanc subtractionem annullabantur, & irritabantur.

His absolutis, progrediendum erat ad sententiam definitivam contra utrumque concurrentem, ut postmodùm verus Pontifex eligeretur. Priùs tamen hac de re audienda censebatur Universitas Parisiensis, quæ ab ipso schismatis principio magno cum zelo ad illud compri-
29. Maij. mendum laboravit. Unus ex ejus Deputatis, Petrus Plout, Theologiæ Doctor, publicè in sessione decima tertia, sensa Universitatis protulit, pulchro discursu, illo ipso Themate assumpto, quod Joannes Gerson in suo ad Legatos Angliæ, per Parisios ad Concilium proficiscentes alloquio habuerat: verba
Os. III. erant Prophetæ Oseæ: *congregabuntur Filij Judæ, & Filij Israël pariter, & ponent sibimet caput unum.* Nimirum, Cardinales & Prælati duarum obedientiarum, congregabuntur in Concilio, Ecclesiam universalem repræsentante, & caput unicum electione veri Pontificis constituetur, ac schisma exstinguetur: multis desuper argumentis supremam Ecclesiæ authoritatem demonstrabat, & sensa Universitatis confirmabat, videlicet: duos illos concurrentes, pro veris schismaticis, imò etiam Hæreticis tenendos esse, destruentes quantum possent, articulum symboli, quô unitatem sanctæ Ecclesiæ confitemur; demum concludebat, eos à Concilio, tanquam tales tractandos, & è Pontificatu deponendos esse, utpote per Schisma & Hæresim jâ eô spoliatos.

Hic

Annus 1409.

Hic Doctor vix de ambona descendit, cùm illam mox Episcopus Navarriensis ascendit, & altâ voce scriptum legit, quo declarabatur, quòd centum & tres Doctores & Licentiati Theologiæ, ex Deputatis Universitatum ad Concilium, inter quos erant complures Prælati, jussu Cardinalium ad hanc deliberationem congregati, omnes unanimiter Universitati Parisiensi consenserint; addebatur: quòd prætereà Universitates Galliæ ejusdem opinionis, eadem censeant Universitas Bononiensis per literas, & Florentina per instrumentum authenticum à viginti sex Doctoribus subscriptum. Denique post relationem omnium gestorum in Sessionibus præcedentibus factam, quæ Commissarij juxta Instructionem pro hoc magno Processu repererunt, post exactissimum examen singulorum, post depositionem testium ad triginta septem articulos ab Advocato Concilij propositos contra duos concurrentes, post omnes juris formas Canonicas observatas, causa hæc per judicialem definitivam sententiam, præfixô die, terminata fuit.

Act. Conc. Pis. t. II. Concil. Edit. Paris. Act. Cod. Gemmeti.

Erat hic dies Mercurij, Junij quintus, pridie festi Sanctissimi Corporis Christi: ubi præmissis consuetis precibus ac Cæremonijs, postquàm Cardinales Columna, & Sancti Angeli, cum Archi-Episcopis Genuensi & Pisano, atque Notarijs Concilij citâssent ultima vice duos concurrentes, Patriarcha Alexandrinus, jussu Concilij, & ferme infinitæ populi multitudinis, quæ totam illam grandem implebat Ecclesiam, definitivam legit sententiam, quâ, Concilium declarabat Petrum de Luna, & Angelum Corarium obstinatos Schismaticos, Hæreticos, de criminibus enormibus convictos, reos perjurij, impietatis in votis violatis, collusionis ad decipiendos Fideles, & fovendum Schisma, quo tam longo tempore lacerabatur Ecclesia; & tanquam tales, Pontificatu privatos, ex quo jam effectivè exciderant; præcipiebátque omnibus Fidelibus, sub pœna excommunicationis, nè ullus eos agnosceret, vel favorem ullum eis præstaret: annullabat & irrita faciebat, omnia illorum acta, contra procurantes unionem, & specialiter postremas Cardinalium promotiones à trigesimo die Maji, & à Petro de Luna post diem decimum quintum Junij anni superioris factas: posteà Te DEUM Laudamus decantatum est.

Act. Cod. Gemmitic. Surit. l. 3.

Petrus de Luna, ad declinandam hanc terribilem procellam, quæ illum, licèt aliàs intrepidum, vehementer conterruit, illud à Martino Rege Arragoniæ suo Protectore obtinuit, quòd suos Legatos Pisas miserit ad Concilium, quibus Petrus suos quoque adjunxit, ad novas pacis, & unionis oblationes proponendas, quæ juxta consueta ejus artificia nihil erant effecturæ. Sed cùm post sententiam publicatam advenerint, coacti fuerunt, post factas suas coram Deputatis Concilij propositiones, non expectatô responsô, reverti. Atque ità, postquàm Concilium Cardinalibus permisisset, pro hac vice, absque præjudicio jurium Sacri Collegij, ut ad electionem Pontificis procederent, omnésque scriptò promitterent, quòd Electus Concilium sit continuaturus, usquedum reformationi corporis Ecclesiæ in membris & capite provideretur; die decimo quinto Junij Conclave, in Palatio Archi-Episcopali præparatum, intrârunt, cujus custodia commissa fuit Philiberto de Noillac Magno Magistro Rhodio. Erant hoc tempore Pisis viginti quatuor Cardinales, quia Cardinalis Frias Hispanus, & Cardinalis de Challend Sabaudus, desertô Petrô de Luna, paulò antè advenerunt, & cum cæteris Cardinalibus se conjunxerunt, qui omnes unanimi consensu die Mercurij vigesimô nonô Mensis ejusdem, Petrum Philargium, aliàs de Candia dictum, Cardinalem Mediolanensem

15. Jun. Act. Gemmitic.

Act. Concil. Pis. t. II. Concil. Edit. Paris.

Annus 1409. sem elegerunt, qui nomen Alexandri V. sibi imposuit.

Non reperietur in Historia quidpiam majore dignum admiratione, quàm fuerit fortuna hujus Pontificis, quem Divina Providentia è centro extremæ depressionis extrahere dignata est, ut eum sensim per omnes gradus Ecclesiæ, ad supremum celsitudinis & gloriæ fastigium perduceret. Natus erat in Insula Creta seu Candia, è parentibus adeò pauperibus, & miserabilibus, ut eum deserere coacti fuerint, isque factus Pontifex: dixerit se illo gaudere supra suos Prædecessores emolumento, quòd tentari non posset, ùt illi, ad cognatos suos exaltandos, qui nunquam noverat Patrem, nec Matrem, nec fratrem aut sororem, aut Nepotem, nec sciret an in mundo sit, qui ad se pertineret. Dum adhuc puer esset, & per Urbem Candiæ panem ostiatim mendicaret, quidam Franciscanus Italus, in hoc miserando statu illi occurrens, misertus ejus inopiæ, & in ejus physiognomia videns quidpiam bonæ indolis ac spei relucere, eum in Conventum ad serviendum Ecclesiæ induxit, legere & scribere docuit, eique prima Linguæ Græcæ atque Latinæ rudimenta tradidit, in quibus addiscendis puer iste egregium ostendebat ingenium, & adeò profecit, ut habitum Ordinis obtinuerit, & completâ ætate, ad professionem emittendam fuerit admissus. Post aliquod tempus, dum ejus Magister in Italiam reverteretur, suum discipulum secum deduxit, & in celebrioribus Universitatibus, scientiis excoli curavit, primóque in Angliam Oxonium ad Conventum sui Ordinis misit, ubi sua inchoavit studia, eáque in Universitate Parisiensi prosecutus est tanto cum progressu in altioribus scientijs, ut Biretum Doctorale obtinuerit, & Theologiam in Schola Sancti Bonaventuræ magno cum plausu prælegerit, atque sicut hic Sanctus, doctos Commentarios in Magistrum Sententiarum scripserit. Inde in suam Lombardiæ Provinciam reversus, ubi primarijs in suo Ordine functus est Officijs, tantam sibi famam facunda sua Prædicatione, & libris eruditis comparavit, ut Joannes Galeas Visconti eum noscere voluerit; & reperiens illum æquè idoneum ad negotia tractanda, ac erat in scientijs versatus, primum ei locum in suo Consilio contulit, Episcopum Novariæ, & postea Archi-Episcopum creari fecit Mediolanensem, eúmque Legatum ad Imperatorem Wenceslaum misit, à quo titulum Ducis pro suo Domino, pro se autem Principis Sacri Imperij obtinuit. Post hæc ab Innocentio VII. ad Cardinalatum promotus est, & ab eo Legatus in Lombardiam missus, ac demum in Concilio Pisano cum cæteris Cardinalibus, qui Gregorium tanquam schismatis fautorem, uti etiam Petrum de Luna deseruerunt, existens, Pontifex omnium Cardinalium suffragijs electus est, qui hac occasione tale Caput Ecclesiæ dare voluerunt; quod meritò suó toti Orbi notó, hac exaltatione sinè controversia dignum censeretur.

Et certè, ultra Scientias Divinas, & humanas, omnésque virtutes Christianas, quas in gradu eminentissimo possidebat, à natura quoque præditus erat, non obstante natalium depressione, admirabili generositate animi, mentísque magnitudine, quam cum industriâ suâ, & assiduâ ad omnia ritè obeunda, applicatione excoleret, omnes illas acquisivit perfectiones, quæ ad maximum Principem formandum desiderari possunt, maximè autem liberalitatem planè heroicam, præsertim erga egenos, & personas à merito æstimabiles, quia nihil pro se ipso reservavit. Eapropter suis amicis cum incredibili sua complacentia dicebat, quòd cùm dives antea fuisset Archi-Episcopus, factus fuerit pauper Cardinalis, & tandem Pontifex mendicus; quasi facto quodam in fine dierum suorum, rede-

Niem L. 3. c. 51. Ciacon. Platin. Panvin. Blond. & alij.

Annus 1409.

Ciacon.

Blond. L. 10. dec. 2.

Alexandro V. Divina Lux & sacrarum rerum intelligentiam, & incredibilem dederat Sanctitatem. Ægid. Viterb. in M.S. Hist.

Annus 1409.

Platin. Ciacon. Genebrar. Ægid. Viterb.

deundum sibi esset ad primævam conditionem, etiam in sua exaltatione. Et hoc maledicum Theodorum de Niem contra illum incitavit, quòd nimirum hic Pontifex liberaliter suas profunderet opes & gratias, quæ isti Officiali, uti sub alijs Pontificibus, non conducebant, & qui priùs pro expeditione gratiarum, & Litterarum Apostolicarum, plurima capiebat emolumenta.

Act. Concil. Pis. t. 1. Conc. Edit. Paris.

Novus hic Pontifex, proximâ sessione Concilio præsedit primo die Julij in sublimi ante Altare throno, & post lectum de ipsius electione Decretum, excellentem protulit sermonem super illa verba: *Erit unum ovile & unus Pastor*: in quo demonstrabat Pastoris debitum erga suum gregem, & gregis erga JEsum Christum, Pastorem bonum, cujus Vicarius in terris est Pontifex. Dein ratihabuit, quæ à Cardinalibus & in Concilio, & pro unione duorum Collegiorum acta sunt, ut nonnisi unicum deinceps esset Ovile: in Sessionibus sequentibus, irritas & nullas declaravit omnes sententias, censuras & excommunicationes ab initio schismatis fulminatas à Pontificibus Competitoribus, tam Romæ quàm Avenione, omnésque promotiones in favorem omnium Concilio isti adhærentium factas confirmavit; debita omnia condonavit, quæ Cameræ Apostolicæ ab Ecclesijs, & Beneficijs usque ad diem suæ exaltationis erant obventura; & generosè in futurum renuntiavit reservationi bonorum, & spoliis Prælatorum vitâ functorum, atque fructibus intermedijs vacantium Beneficiorum. Denique die septimo Augusti, in ultima Sessione declaravit, quòd cùm Concilium decreverit absolvendam esse reformationem Ecclesiæ in membris & capite, ídque jam fieri non posset, propter Legatos & Prælatos, ad abitum obligatos; negotium hoc differri ad tres annos, ubi Concilium continuabitur in loco designando: & ità Prælatis omnibus ad suas rede-

undi Ecclesias fecit potestatem.

Annus 1409.

P. 3. tit. 22. c. 1.

Tale fuit famosum Concilium Pisanum, quod tamen non omnibus universaliter satisfecit. Nonnulli enim, quamvis paucissimi, uti Sanctus Antonius, negabant illud esse legitimum; quidam alij post Cardinalem de Turre Cremata, dicebant saltèm incertum esse, an legitimum fuerit, utpotè sinè authoritate Pontificis celebratum. Sed altera ex parte Cardinales Ægidius Viterbiensis, & Dominicus Jacobatius, Joannes Gerson, omnes Doctores Parisienses, & ferme omnes alij, etiam Hispani, tanquam summè legitimum tenent: quia tametsi nullus eorum dubitet, quin Concilium totam suam authoritatem à Pontifice accipiat, ad quem, si certus aliquis existat, pertinet illud convocare; asserunt nihilominùs, quòd in Schismate, huic simili, ubi certo sciri nequit, quis ex pluribus Concurrentibus verus sit Pontifex; propter insuperabiles difficultates in utraque parte intervenientes tam juris, quàm facti, quibus opiniones Doctorum dividuntur; Ecclesia tali casu potestatem habeat, se congregandi, vel censeat, per Cardinales, aut etiam per alios ad Concilium Generale convocari posse Episcopos de consensu Principum Christianorum, ad duos Ponifices dubios deponendos (maximè si isti contra suum agerent juramentum) atque ad alium eligendum, quem fideles omnes pro vero Pontifice agnoscere teneantur. Tandem enim, dicebant Doctores illi; durante incertitudine hujusmodi, & dubio, quisnam duorum Competitorum verus sit Pontifex, Ecclesia in tali statu est, sicut dum sancta Sedes vacat. Quis autem ambigat, an si longissimo tempore sedis vacantis, uti spatiô duorum annorum factum est, omnes Cardinales ex hac vita decederent, & ob necessitatem urgentem, necessarium esset Concilium Generale; tali casu Principes Christiani convenire possint de loco, in

V. Azor p. 2. l. 5. c. 7. & Binium in Not. ad Concil. Pis.

Annus 1409. in quo Prælati & Doctores suarum nationum congregentur, absque Pontificis convocatione, & an hujusmodi Cœtus legitimum sit Concilium, & hoc ipsum Concilium eligere possit Pontificem. Hinc nonnulli inferebant, quòd in casu præsenti, de quo agitur, Ecclesia eandem habeat potestatem: alioquin enim JESUS Christus haud benè providisset Sponsæ suæ, ut ab innumeris malis è schismate provenientibus, liberaretur, quod duo existimati Pontifices suis artificijs & collusionibus reddere possent perpetuum.

Hæc Doctores illi argumenta proferebant; quibus duæ considerationes hìc addi possunt; & pro majori claritate præsupponendum est, quod nullatenus negari potest: nempe distinguendum esse inter Ecclesiam Romanam particularem, & Ecclesiam Catholicam universalem. Ecclesia Romana quatenus est particularis Ecclesia, est Diœcesis Romana, quæ sicut aliæ omnes, ità ipsa suos habet limites: altera, quatenus componitur ex omnibus Diœcesibus, seu ex omnibus Ecclesijs particularibus, quæ licèt per Orbem universum extendantur, omnes tamen sub uno solo capite, omnibus alijs superiore, uniuntur, quod est Episcopus Romanus, ùt Pontifex & Pastor universalis & JEsu Christi Vicarius in terris, super gregem suum vigilans. Durante hôc, de quo Historiam istam scribimus, schismate, Ecclesia Universalis & Romana miserè lacerabatur, dum Ecclesiæ particulares, tanquam membra illius præcipua inter se dividebantur; ubi Ecclesiæ Italiæ, & specialiter Romana erant in obedientia Urbani & successorum ejus; aliæ, ùt Gallicanæ atque Hispanæ obedientiam Clementis amplectebantur; nec non Benedicti successoris illius: aliæ nonnullæ indifferentes manebant, neutri obedientiæ adhærentes, uti post subtractionem fecerunt omnes Ecclesiæ Gallicanæ, multæque aliæ. Et nihilominùs omnes istæ particulares Ecclesiæ inter se uniebantur in eo, quòd semper inhærere voluerint sanctæ Sedi Apostolicæ, erantque in bona fide, non obstante Schismate, quia nimirùm ex utraque parte rationes, & authoritates erant, quibus utraque pars reddebatur probabilis, & ità eligi poterat una vel altera obedientia, prout argumenta meliùs fundata reperiebantur; vel etiam planè suspendi poterat in dubio judicium, usquedum authoritate suprema Concilij legitimi, causa decideretur. Annus 1409.

Jam verò agebatur, an tale fuerit Concilium Pisanum. Qua de re duo dici possunt, & considerari: primum, quòd præter Ecclesias Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Bohemiæ, Lusitaniæ, Hungariæ, Poloniæ, Regnorum Septentrionalium, & majori ex parte Italiæ, & ipsa Romana, pro summè legitimo illud habuerit, quia Alexandrum V. eiúsque successorem Joannem XXIII. pro veris Pontificibus agnovit, & consequenter Concilio Pisano se submisit: exquo concludendum videtur, quòd Ecclesia (cùm duo Pontifices eodem tempore pro veris agnosci nequeant) dum obtemperat Concilio, Alexandrum V. pro vero Pontifice recipiendo, omnésque ejus Prædecessores, usque ad Urbanum VI. ascendendo, dubios post Concilium Pisanum, censere potuerit Pontifices. Evidens etiam videtur, quòd authoritas omnium istarum Ecclesiarum particularium, cum Ecclesia Romana prævalere debeat opinioni Sancti Antonini, & paucissimorum illorum, qui eum sequuntur, prout ipse in hac opinione secutus est Magistrum suum Joannem de Dominicis, qui fuit unus ex illis quatuor Cardinalibus à Gregorio contra suam promissionem creatis, & qui pro talibus nunquam agniti fuêre, nisi postquam in Concilio Constantiensi de novo creati fuissent. Ex his tamen inferri nequit,

Annus 1409. quit, quòd Ecclesiæ cum Romana sentientes citra injuriam tanquam schismaticos tractaverit illos, qui pro Urbano VI. & successoribus ejus non steterunt; cùm Ecclesiæ cum Romana, licèt Concilio Pisano se conformaverint, Alexandrum recipiendo, ejus prædecessores usque ad Urbanum VI. semper tanquam veros Pontifices coluerint, Avenionenses autem ùt Antipapas rejecerint.

Altera consideratio est: quòd Concilium istud approbatum fuerit non solùm ab Ecclesia Romana ùt particulari, sed etiam ab universali in Concilio Constantiensi repræsentata. Nam præterquàm quòd Concilium istud non nisi continuatio fuerit Pisani; & quamvis etiam planè diversum esset, nullatenus tamen negari potest, quin Pisanum approbaverit, Alexandrum V. & Joannem XXIII. acceptando. Et si istum deposuit; id non erat, quòd eum pro legitimo Pontifice non agnoverit, sed quia post promissionem factam pro bono pacis de spontanea sui spoliatione, Patres Concilij decepit, & fugam dedit: propter hæc & alia plura capita, ùt visuri sumus, Concilium hoc Processum adversùs illum instituit, eúmque deposuit. Ex his omnibus absque difficultate concludi posset, Concilium Pisanum pro legitimo habendum esse, & quòd vi Decreti ipsius Angelus Corarius, & Petrus de Luna, quorum unus ante Concilium hoc sub nomine Gregorij Pontifex erat indubius, alter verò sub nomine Benedicti, non tantùm dubius Pontifex, verùm etiam indubitatus Antipapa universim censebatur ante & post Concilium Pisanum; Petrus denique de Candia, unicus & verus Pontifex Alexander V. Ità ut non omnia fuerint in eodem statu schismatum præcedentium, ubi verus Pontifex ab Ecclesia Catholica Romæ agnoscebatur, & Antipapa ab una parte schismatica Avenione defendebatur. Nam reipsa schisma non desijt, & pro duobus Pontificibus falsis, quales antecedenter fuerant, tres existebant, unus verus & duo falsi; quia duo Antipapæ Decretum Concilij Pisani contemnentes, unusquisque pertinaciter in sua, quæ illis restabat, obedientia se conservabant, ubi Petrus de Luna adhuc Regna Arragoniæ, Castiliæ, & Scotiæ retinebat; & Angelus Corarius à Rege Siciliæ Ladislao, paucísque Italiæ Civitatibus, quamvis ad breve tempus, agnoscebatur. Et licèt Robertus Imperator offensus Alexandro propter dignitatem Imperialem Wenceslao adjudicatam, quidquid potuit, egerit, ut ad Gregorium Principes Germaniæ reduceret, nihil tamen effecit, atque ità totus ferme Orbis Christianus Alexandro se submisit. Annus 1404.

Gregorius interim, ut Concilium Pisanum præpediret, quantùm posset, aliam quoque synodum vel potiùs conciliabulum in Patriarchatu Aquilejensi convocavit, & ad illud circa Pentecosten celebrandum se contulit, non in Austriam Provinciam, ut quidam scriptor similitudine nominis deceptus, notavit, sed in Civitatem Austriam propè Utinum, Metropolim Fori Julij, quæ propter propinquitatem & cohærentiam pro uno loco haberi debent, ùt ipse Gregorius in Bulla sua loquitur. Mense Junio Concilium istud inchoatū fuit ipsô die festô Sanctissimi Sacramenti: sed cùm paucissimi Prælati comparerent, major eorum expectandus erat numerus, præsertim Ditionis Venetorum, quos renuentes citari curavit, quia Veneti, licèt ipse Gregorius Venetus esset, Concilio Pisano & consequenter Alexandro adhærebant. Totum, quod in tam modico Cœtu facere potuit, quem tamen Concilium Generale perperam appellabat, illud erat, quòd in duabus alijs Sessionibus, quarum postrema fuit die quintô Septembris, fulminaverit excommunicationem contra Petrum de Luna, & Petrum de Candia cum omnibus eorum adhærentibus; & constituti

De Thej.

Niem. L. 3. c. 16.

Litt. Gregor. apud Rayn.

Annus 1409 *T. II. Concil. Edit. Paris. Niem. Tract. 6. c. 40. & l. 3. c. 46.* stitutionem publicaverit, quâ se offerebat ad comparendum cum suis duobus concurrentibus in loco securo, vel in Concilio omnium trium obedientiarum, ibíque jure suo cessurus, si duo reliqui se quoque Pontificatu usurpato exuerent. Hoc nonnisi magis exasperabat animos, & locum novis præbebat artificijs; quibus jam toties adhibitis mundum moraretur; ídque tantò credibiliùs videbatur, quòd pro loco hujus congressus deligendo nominaverit Robertum Imperatorem, Sigismundum Regem Hungariæ, & Regem Siciliæ Ladislaum, tres Principes, qui apertè hostes contra invicem erant acerrimi, & nunquam de certo loco inter se consensuri.

Sed ardua premebatur difficultate, ut se à periculoso, in quod se conjecerat, negotio expediret, cui nulla, ut Savonam pergeret, sufficiebat securitas. Venetis ex una parte diffidebat, qui se pro Alexandro declarârunt; *Niem. L. 3 c. 45. 49.* ex altera, verebatur, nè in manus Antonij Patriarchæ Aquilejensis incideret, quem deposuerat, quia de Concilio Pisano erat, & Gregorium comprehendere satagebat. In hac extremitate ad suum Protectorem Ladislaum recurrit, qui ei duas Triremes, ad Portum Austriæ Civitati vicinum transmisit, ubi quinquaginta milites eum comitaturi expectabant. Sed cùm intellexisset, quòd Patriarcha ad omnes vias armatos ad se capiendum expediverit, transuestitus Mercatorem induit; & dum solus in equo cum duobus famulis peditibus præcederet, milites in insidijs constituti, unius hominis causâ prodere se nolentes, transitum illi permiserunt, & paulò post Cubicularium illius, valde similem Gregorio, invaserunt, quem esse credebant tantò faciliùs, quòd & vestitum & comitatum haberet Pontificium: quod tamen carò illum constitit: milites enim errore hoc exulcerati, omnem iram suam innumeris verberibus in eum exonerarunt, & in solo indusio dimiserunt. Gregorius, quem milites Patriarchæ usque in Comitatum Goriciensem persequebantur, otium tantummodo habuit, quo se in Lembum conjiceret, atque per fluvium Lizonzum in ostio triremes conscenderet, quibus in Samnium deportatus, Gajetæ cum tenui sua Curia, Ladislaò concedente commoratus est. Annus 1409. Interea Pontifex Alexander, juxta Decretum Concilij sessionis ultimæ, *Act. Conc. Pisani & Gemmetic.* Legatos & Nuncios ad omnes Reges & Principes Christianos mittebat, pro recipiendo & publicando in suis ditionibus Concilio: Româ quoque pro illo interceptâ, possessionem ejus pro suo arbitrio capere poterat, quæ totius Christianitatis Metropolis, illum pro suo Domino, & unico vero Sancti Petri successore agnovit. Intereà tamen hic Pontifex, quem pestis abire Pisis coëgerat, & Pistorium migrare, successum Confœderati sui exercitûs expectabat; ibidem in exstinguenda Hæresi, quæ grassari cœpit in Bohemia, laboravit, de cujus origine atque progressu jam referendum est. Nobilem illum Bohemum, qui, ùt alibi diximus, quosdam libros Joannis Wiclefi ex Universitate Oxoniensi attulerat in Bohemiam, secutus est post aliquod tempus quidam Anglus magnus Wiclefista, qui plures alios ejusdem farinæ libros Pragam intulit, & præcipuè illum, cui titulus erat: *Veritas*, *Joann. Cochla. Hist. Hussit. L. 1. Æn. Sylv. Hist. Bohem. c. 35.* erátque omnium perniciosissimus, cujus lectio paulatim venenum inter nonnullos de Universitate effundebat, qui novis opinionibus distinguere se ab alijs affectabant. Inter hos maximè conspicuus, & qui se pro capite novæ sectæ constituit, erat homo in Universitate spectabilis, æstimatúsque Joannes Hus, à nomine cujusdam Pagi Bohemiæ, ubi ex vilibus & obscuris Parentibus natus est. *Dubra. H. st. Bohem. L. 19. Harpsfeld. Hist. Wiclef. c. 14. V. Tom. 5. Hist. Univ. Paris. p. 203.* Erat interim homo ingenij præstantis, quem conterranei ipsius pro sua Natione Ducem seu Procuratorem in Universitate Pragensi constituerunt, in qua se celebrem fecit, atque etiam in populo venerabilem;

Annus 1409. lem; Presbyter enim factus, vitam longè magis exactam & ordinatam, quàm cæteri Ecclesiastici profiteri videbatur. Inde magnum pondus & authoritas Concionibus ejus, quas Pragæ faciebat, accessit; ubi, naturali eloquentia præditus, & in patria lingua disertus, multùmque popularis, omnes in sui sequelam & admirationem, tanquam celeberrimus in Bohemia Prædicator attraxit. Hæc bona talenta, sanctitati apparenti sociata, effecerunt, quòd ingentem habuerit concursum præsertim fæminarum, quæ ejus directioni, tanquam Patris Spiritualis se committebant; qua in re adeò felicem habuit successum, ut Regina Sophia eum pro suo Confessario & Directore habere voluerit. Ejus enim Maritus Rex Wencaslaus, magis quàm unquam aliàs belluinus factus, vitæ dissolutæ ac voluptuosæ unicè intentus, nihil de simili cogitabat directione: in gratiam tamen Reginæ, Confessarius hujus Principissæ, ejus interventu, quæ volebat, à Rege facilè impetrabat. Talis & in tali statu Pragæ fuerat Joannes Hus, dum partem doctrinæ Wiclefi, suo ingenio valde congruam, seminare incœpit, desiderio præsertim se ducem factionis constituendi, specioso prætextu reformationis morum & abusuum, qui in Ecclesiam irrepserunt, ut tandem authoritatem Pontificis & Episcoporum in nihilum redigeret.

Initiò tamen cœptorum suorum grande obstaculum reperit, in zelo quem testabatur Universitas Pragensis, primò statim errores Wiclefi damnando. Cùm enim sciret, complures ejus propositiones gravi censurâ, in Anglia & in Universitate Parisiensi, quam ùt Matrem suam illa reverebatur, notatas fuisse; quadraginta quinque propositiones ex libris Hæresiarchæ istius collegit, quæ Pragæ spargebantur, easque diligenter priùs examinatas in pleno Conventu præsente Joanne Hus Nationis Bohemicæ Procuratore, communi omnium consensu damnavit; Annus 1409. qui tanto torrenti resistere non ausus, metuens nè à Corpore Universitatis rescinderetur; aliud medium, Cochla. Harpsfeld. utpote vafer, & malignus concepit, ut finem suum assequeretur; illos nimirum, qui ei magis obsistebant, in ruinam deturbando: ecce modum, quô id effecit.

Universitas Pragensis, quam Imperator Carolus IV. fundaverat secundùm exemplar Parisiensis, quam Cochl. v. t. 5. Hist. Univ. Paris. ipse viderat, componebatur ex Nationibus, Bohemica & Teutonica, quæ alias tres comprehendebat, videlicet Polonicam, Saxonicam, & Bavaricam, quarum singulæ suam vocem & partem in omnibus habebant electionibus, honoribus & emolumentis: ità ut Teutonica, tribus gauderet vocibus, Bohemica verò tantùm unâ. Joannes Hus, qui mediante Regina, sua pœnitente, facilem accessum & magnam fidem apud Regem habebat, ei facilè persuasit, pro honore Nationis Bohemicæ contraria illis, quæ à suo Patre in Universitate instituta fuerunt, esse decernenda; ità ut Natio Teutonica, quæ tribus gaudebat suffragijs, unicum retineret, Bohemica verò, quæ nonnisi unicum habebat, tria deinceps obtineret; quæ post defunctum Imperatorem Carolum in majorem, quàm eo vivente, numerum excrevit: probrosum enim & injustum esse dicebat, quòd exteri plura in sua potestate habentes suffragia, omnia possideant officia & honores, à quibus subditi Regis semper excludebantur. Wenceslaus de scientijs & de Universitate nihil, sed unicè de suis voluptatibus follicitus, facilè in omnia, quæ ille voluit, consensit: & quamvis hæc mutatio magnas inter utramque Nationem causaverit perturbationes, ità ut ad cruentas devenerint collusiones, quas Wenceslaus cum oblectamento spectabat; quidquid Teutonici ei repræsentarent pro conservandis suis antiquis juribus, eos contemnebat semper, dicebátque se illis pro

Annus 1409.

Pro Concordia suum coquum daturum Universitatis Rectorem. Hæc fuit, causa quòd exteri omnes, hâc ignominiâ vehementer irritati, Decretum inter se condiderint, vi cujus, omnes deserturi erant Universitatem Pragensem, quod executi sunt, ità ut intrà octiduum, quemadmodùm scribit quidam Historicus, viginti quatuor millia Scholarium, Germanorum, & Polonorum Pragâ migraverint, quorum pars una ad Universitatem Erfordiensem, alia Lipsiam abijt, ibíque Universitatem inchoavit. Hoc ipsum planè fuerat, quod Joannes Hus intendebat, ut in Universitate obtentô dominiò, sua dogmata stabilire posset, absque resistentia Extraneorum. Et profectò, post abitum Teutonum, Rector Universitatis factus, notabili jam, præsertim Ecclesiasticorum, secta collecta, suos incœpit producere, qui omnes ferme Wiclefi erant, errores præter illos, quos Hæresiarcha iste contra Sacramenta conscripserat; Sed retinebat veritates nonnullas, præcipuè de Eucharistia, in qua præsentiam realem & transubstantiationem confitebatur, eámque utpote bene fundatam impugnare non audebat; nec non de Confessione, ùt qui Confessarius erat Reginæ, munus hoc, ex quo magna capiebat emolumenta, amittere nolebat.

Dubra. Hist. Bohem. l. 23. V. Hist. Univ. Paris. t. 5.

Alne. Sylv Hist. Bohem. c. 35. Harpsfeld.

De reliquo duorum præcipuè hominum operâ utebatur ad sectam suam stabiliendam: unus erat Hieronymus de Praga egregius aliàs Artium & Philosophiæ in Universitate Magister, talis ferme in schola, qualis Joannes Hus in Pulpito; alter quidam Jacobellus Misensis in Bohemia, homo doctus & magnæ à virtute ac probitate vitæ existimationis, qui adeò longè distabat à Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ abolendo, ut in aliud extremum, prætextu pietatis, impegerit, obligationem Fidelibus imponens, Corpus & Sanguinem JESU Christi sub utraque specie recipiendi, quod specialiter occasionem novi erroris præbuit in Bohemia. Denique præter artificia dolosa, quibus ordinariè utuntur Hæretici ad effundenda subtiliter suæ Hæresis venena, occultas videlicet molitiones & hypocrysim, quarum Joannes Hus erat peritissimus; peculiariter cum bono successu duas adhibebat industrias. Prima erat, cùm in lingua patria disertus esset, nonnullos libros Wiclefi in linguam Bohemicam eleganter transferret, quos ad Principes quosdam Viros, ut eorum sibi studium atque gratiam adjungeret, séque magis muniret transmittebat. Altera ejus industria erat, quòd Scripturas Sacras pariter in linguam vulgarem eleganter translatas, in manus omnium legendas traderet: & permitteret omnis conditionis hominibus, etiam fœminis, docere ac Verbum DEI prædicare, prout illud clarum in Sacris Biblijs reperirent: quod toti populo erat acceptissimum, præcipuè fœminis, quæ hac ratione honorari se videbant, & occasionem habere suum exercendi talentum facilè multúmque loquendo; nec prædicando fatigabantur, solùm tamen in Cæmiterio, nè præcepto Sancti Pauli directè adversarentur, qui Mulieribus in Ecclesia loqui prohibet.

Abn. Syle. Dubrav. Cochla. Harpsfeld.

Annus 1409.

Harpsfeld. Hist. Wiclef. L. 24.

1. Cor. 14. 34. 35.

Explicari non possunt mala, quæ ex hac perturbatione Pragæ causata fuerunt; omnes enim aut prædicare, aut prædicari novam Doctrinam volebant, quam Ecclesiæ reformationem palàm jactabant. Quapropter Archi-Episcopus qui tunc per infelicitatem Pragâ longè aberat, de his admonitus, festinanter accurrit, ad hoc subitaneum incendium, ante majorem stragem, exstinguendum. Erat hic Archi-Episcopus Swinko Hasemberg, illustrium Vir natalium, raræ scientiæ, prudentiæ singularis, & zeli pro vera Fide incomparabilis, animíque generosissimi, nihílque formidantis, ubi de servitio Divino, & utilitate Ecclesiæ agebatur. Cùm primùm advenisset, Consilium suum congregavit, accitis omnibus

Abn. Sylv.

Annus 1409. nibus in ſua Eccleſia magis idoneis Viris atque Doctoribus, qui venenô ſcandaloſæ doctrinæ infecti nondum fuerant. Joannem Hus ad comparendum in ſuo Tribunali citavit, & ad reſpondendum compulit, eúmque tanquam authorem horrendæ perturbationis convicit. Libros ab eo ſparſos exactiſſimè conquiri curavit, & ferme ducentos publicè cremari; quorum pars major, ut magis placerent, & ſuaviùs in auro venenum præberent, bene mundati, argenteis & inauratis fibulis atque pretioſis tegumentis, magnificè ornabantur: Nec ſolùm ità diſpoſuit, ut neque Laici, neque fæminæ prædicare auderent, verùm etiam non attentis multis Joannis Hus ſectatoribus, aut gratiâ Reginæ, quâ fulciebatur, etiam ipſi omnem in tota Diæceſi prædicationem prohibuit.

Id. Ibid. Dubra. L. 23. Cochl. L. 1. Harpsfeld. Hiſt. Wiclef.

Interea Regina Sophia, quæ ſui honoris causâ, tuebatur Confeſſarium & Directorem ſuum, omnibus artificijs adhibitis, quidquid potuit, egit ad procurandam illi Regis protectionem; quaſi fato quodam nulla ferme defendi poſſet hæreſis ſinè adminiculo vel malitiæ, vel illuſionis cujuſpiam fæminæ, & quidem Principiſſæ, ùt plurima docent exempla de Conſtantia, Juſtina, Melania, Eudoxia, Joanna Matre Richardi Regis Angliæ, & hujus Reginæ Sophiæ. Sed Wenceslaus tandem, ùt ùt belluinus & crudelis, collidere ſe cum viro tantæ Authoritatis, qualis erat Swincko Archi-Epiſcopus Pragenſis non audebat vel non volebat. Totum quod hæc Principiſſa obtinere poterat, fuit, quòd Rex ad Pontificem Alexandrum Legatos miſerit rogaturos, ut Joannem Hus pro bono Catholico haberet. Verùm hic Pontifex ab Archi-Epiſcopo plenè jam edoctus, circa finem hujus anni reſcripſerat, rectè Archi-Epiſcopum pro debito ſuo egiſſe, declarando hæreticos omnes illos, quicunque publicè aut privatim, deteſtabilem doctrinam Joannis Wiclefi docerent, & injungebat, ut Authoritate Apoſtolica illi prohiberet conciones extra Eccleſias, in domibus, in foris vel plateis, aut etiam in campis & Cæmiterijs. Sed Joannes Hus parvi pendens mandatum Pontificis, à Pontifice Alexandro ad eundem appellabat Pontificem, cùm illud apertè, ùt ajebat, exemplò JESU Chriſti & Apoſtolorum adverſetur, qui ubique locorum prædicabant; pergebátque, ùt antecedenter, circa Pragam prædicare; & quod omnia ſubvertit, fuit mors magni hujus Archi-Epiſcopi Swinkonis, qui in itinere obijt, dum in Hungariam proficiſceretur Regem Sigismundum rogaturus, ut periclitanti in Bohemia Religioni ſuccurreret, quæ ignaviâ Wenceslai Fratris in poteſtatem Hæreticorum, delapſura videbatur.

Ex Hiſt. Huſſit. t. 5. Hiſt. Univ. Pariſ.

Ep. Alex. ad Swink. apud Raynal.

Annus 1409. *Cochla. L. 2.*

Annus 1410.

Nunquam luculentiùs apparuit, quanti referat, & quanta ſit felicitas magnæ Urbis Metropolis in Regno, habere Archi-Epiſcopum tantæ fortitudinis, qualis hic magnus & generoſus Vir Swinko fuerat. Pragæ cuncta erant in perturbatione, ubi apertô bellô impetebantur Catholici avitam Religionem tuentes, ab Huſſitis, qui eam evertebant ſuis periculoſis novitatibus, impijs propoſitionibus, & Joannis Wicleſi erroribus, licèt jam ſæpè ſolemniter damnatis. Pars una Univerſitatis jam corrupta erat à Joanne Hus, cujus Sectatores indies augebantur: Eccleſiaſtici plerique illum contra Monachos & Ordines Religioſos, quos Hæreticus iſte exſtirpare volebat, ſequebaptur; permulti Laici hoc torrente abrepti, ipſæ etiam fæminæ, quæ ordinariè majori cum ardore, quàm Viri, ad novitates in materia Religionis accurrunt, quarum vanitatem Huſſitæ demulcebant, dogmatizando ſe immiſcebant, & imperterritè articulos Doctrinæ decidebant, per Scripturas ſacras, quas interpretabantur, & nullatenus intelligebant. Denique Huſſitæ, nihil à Curia Regis metuentes, ubi ex una parte Princeps erat ignavus, debilis, nul-

Annus 1410.

nullius authoritatis, absque cura Religionis, ex altera verò, Principissa, quæ à Joanne Hus dirigebatur, doctrina ejus jam adeò tenaciter imbuta, ut se protectricem illius palàm declaraverit. Et nihilominùs, ubi primùm magnanimus iste Archi-Episcopus Pragam advenerat adeò solerter & prudenter agebat, & simul tanto cum robore atque constantia; ut perturbationem sedaverit, & pacem instauraverit; Hussitis ad silendum compulsis, quibus Conciones interdixit, libros eorum flammis dedit, sanos adhuc Doctores Universitatis authoritate suâ contra contumaces munivit; & ipsum Joannem Hus, ùt ùt renitentem, Pragâ migrare coëgit. Quanta igitur egisset dignissimus iste Prælatus, si ipse provisus fuisset magni Regis authoritate, qui magnô zelô pro tuenda puritate Religionis præditus fuisset, & pari bonitate, rectitudine, imperio, fortitudine & Majestate, uti oportebat, operatus fuisset, ut à probis diligeretur, timeretur, ab improbis, & ab omnibus obedientia ei præstaretur. Talis fuit mutatio Pragæ, quam Swinko effecit.

Sed mox ab ejus morte, alia isti penitus opposita successit, ex detestando successoris ejus ductu, qui fuit Albicus, homo ex pulvere terræ ad hanc sublimem dignitatem evectus, favore aut potiùs ineptiâ Regis Wenceslai, & sordidissimè avarus eousque ut pro omnibus Curiæ suæ Officialibus nonnisi unicam habere voluerit, è vilissima plebe vetulam; nec ullum equum alere, quia hæc animalia, inquiebat, etiam de nocte vorant: ut proinde, cùm miserabilis iste, unicè intentus esset, pecunijs corradendis, arduum non fuerit Joanni Hus, Pragam reverso, suos resuscitare errores, & sectam suam multiplicare; unde horribiles illi tumultus exorti fuerunt, illa sacrilegia, illæ seditiones, illæ rebelliones & cruenta bella, quæ ordinariè consequi solent Hæreses, & in scriptoribus Historiæ Bohemicæ atque Hussitarum videri possunt: hìc enim nonnisi ea referenda putavimus, quæ ad effectus Schismatis pertinent, & pro disponendo Lectore ad ea cognoscenda, quæ in causa Joannis Hus, in Concilio Constantiensi gesta sunt, quod propriè ad Historiam istam pertinet, ubi absoluta contra illum fuêre illa quæ Alexander Pontifex consummare non valebat morte præventus.

Annus 1410.

Hic Pontifex, dum rectà Romam pergere debuisset, quò à Senatu, Populo & Clero invitabatur tanquam Dominus, & tanquam verus Pontifex; priùs Bononiam se contulit, ad id à Legato Bononiensi Balthasare Cossa persuasus, qui perlibenter suam sanctitatem in ea Urbe habere cupiebat, in qua ipse dominabatur. Sed cùm Sanctus iste Senecio Appeninum transire debuerit, inter maxima, rigidæ hyemis incommoda, quæ in eo itinere, etiam forsan leni aliquâ medicinâ (venenô infectum Clysterem, putat quidam hystoricus) adhibitâ, mortem non leviter provocârunt; eámque illi accelerârunt. Bononiæ igitur die tertio Maji ætatis annô sexapesimô primô, sanctè, uti vixerat, ex hac vita decessit. Dum se morti proximum videret, omnes Cardinales circa suum lectulum convocavit, eósque cum admirabili mentis præsentia, pulcherrimo sermone latino allocutus est, atque ad concordiam unionémque intimam pro bono Ecclesiæ tam feliciter unitæ, fovendam exhortabatur. Dicebat, uti JESUS Christus, pacem se illis relinquere: cúmque in lachrymas solutos videret, eos consolari cœpit, pulchris illis Filij DEI verbis, magna cum fiducia in meritis ejus infinitis, dicebat: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum*; nolite tristari: & post aliqua super hunc textum ad magnam ædificationem dicta, concludebat protestando coram DEO, cui gestorum & dictorum suorum brevi redditurus esset rationem; se omnino procertò tenere, quòd omnia, quæ in

Ep. Alex. ap. Raynal. *Niem. in Vit. Joann. XXIII.* *Ap. Antonin. t. 2. p. 3. c. 5. § 3. Niem. l. 3 c. 53. Gobellin Niem. L. 25. c. 53.* *Platin. Ciacon.* *Mon. Dionys. L. 30. c. 4.* *Plat. Ciacon.*

Annus 1410. in Concilio Pisano acta sunt, ab inspiratione Sancti Spiritûs pro Gloria DEI & bono Ecclesiæ processerint. Post hæc suam illis Benedictionem impertitus est, & oculis in Cœlum elevatis, velut in alta contemplatione placidissimè expiravit. Hoc solùm forsan persuadere posset, Concilium Pisanum fuisse legitimum, post talia verba à Viro Sancto prolata, qui absque omni spe commodi in hoc mundo percipiendi, eo ipso tempore, quo in Tribunali Divino compariturus erat, tam patheticam fecit protestationem.

Optandum erat, ut in illo Ecclesiæ statu, Cardinales, tam bona excitati adhortatione, talem elegissent successorem, qui saltèm aliquatenus virtutibus Alexandri appropinquaret. Sed ad recommendationem Ludovici Andegavensis Siciliæ Regis, qui ex Gallia ad accipiendum Regnum Neapolitanum revertebatur, Cardinales Galli, qui è septendecim in Conclavi, majorem Sacri Collegij partem conficiebant; & quibus reliqui ferme omnes accesserunt, die decimo septimo Maji, elegerunt Balthasarem Cossa Legatum Bononiensem, magnum istius Principis amicum, cum quo jam antea bellum contra Ladislaum gerebat. Electio hæc cum aliqua admiratione, atque etiam exigua ædificatione accepta fuit, prout quidam Historicus, qui Electum probè noverat, nec hostis erat Pontificum, ingenuè fatetur. Iste námque Cardinalis, Nobilis Neapolitanus, ingenio quidem pollens, & ad negotia tractanda idoneus erat; sed ùt Tyrannus rexisse dicebatur Bononiam, & vitæ mundanæ deditus, Vir in temporalibus magnus, at in spiritualibus nullus atque ineptus. Nihilominùs communi consensu ad Thronum elevatus est, atque adoratus sub nomine Joannis XXIII. tanquam JESU Christi Vicarius in terris, utpote legitimè electus, & in Cathedra Sancti Petri collocatus; quem proinde omnes pro tali agnoscere, eique obedientiam præstare tenebantur, non attentis ejus moribus & vitâ. Fatendum nihilominùs est, mutationem in eo fuisse observatam, & longè minùs inordinatum fuisse in Pontificatu, quàm fuerit ante suam exaltationem. Ipsô etiam initiô felicitatem habuit, quòd Robertô Bavarô, Concilio Pisano semper adversô, post octo dies à Coronatione sua, vitâ functô, Electores ad interventionem ipsius, Imperatorem hôc ipsô annô elegerint Sigismundum Regem Hungariæ, qui se pro Concilio Pisano solemniter declaraverat, & consequenter pro Pontifice, universim per totum Imperium acceptato; dum id ipsum in Regno Neapolitano Regis Ludovici Andegavensis favore obtinere satagebat.

Niem. l. 3. c. 53. & in Vit. Joann. Ciacon. & alij.

Gobell. in Cosmod. at. 6. c. 90.

Anto. nin. 3. p. t. 22. c. 6.

Leon. Aretin. in Hist.

Annus 1411.

Gobelin. in Cosmod. at. 6. c. 90. Onuphr. Niem in Vit. Joann.

Cum hoc Principe, postquàm Urbem Romanam cum omnibus suis Cardinalibus, & Curia tota inter festivas populi Romani acclamationes ingressus fuisset, arma sua conjunxit, & bono Exercitu composito, Ladislaum cruentô præliô totaliter cecidit, castra & impedimenta opulenta diripuit, vexillis ferme omnibus Ladislai ablatis. Quia verò Ludovicus Andegavensis, partâ victoriâ uti nesciverat, cum ignominia in Galliam reverti coactus est, Ladislao ubique locorum prævalente, & veteres cogitationes, de Roma iterum intercipienda resumente. Pontifex, ut contra illum se præmuniret, repetito fulmine anathematis, in hunc Principem tanquam schismaticum, rebellem Ecclesiæ, & omni jure ad Regna Jerosolymæ atque Siciliæ privatum, decrevit in magno Cœtu Cardinalium, & Prælatorum in Curia degentium, Crucem, seu Bellum Sacrum contra Ladislaum prædicari, oblatis, qui pugnaturi essent omnibus indulgentijs, quas Prædecessores contra Infideles militantibus largiebantur. Misit pro subsidijs obtinendis ad omnes Principes, & Bullam Sacri Belli promulgari curavit in Germania, Anglia, Gallia, Lusitania, Bohemia, Hungaria, Prussia, Polo-

Diar. M.S. ap. Bzov. S. Antonin. p. 3. t. 22. c. 6. Leonar. Aretin. in Hist.

Annus 1412.

M. S. Vatic. Regest. Joann. ap. Raynald. Mon. Dionys. L. 31. c. 34.

Annus 1412.

Polonia, Lithuania, Dania, Suecia, Norvegia, in Regno Cypri, in Insulis, unô verbô, in tota ferme Christianitate, ubi universim pro vero & unico Pontifice agnoscebatur.

Hæc fuit occasio, quam Pragæ arripuêre Hussitæ, majori quàm antehac insolentia, favente illis conniventiâ, & infirmitate infamis Albici. Cùm enim in Urbe illa indulgentiæ istæ prædicarentur Wenceslao jubente, qui licèt ignavus erga Hussitas, nihilominùs tamen sub pœna vitæ illis prohibuit, nè quidquam adversùs authoritatem Pontificis, vel contra Indulgentias proferrent, tres homines de fœce populi à Joanne Hus conducti, in pleno sermone Prædicatoris insurgere ausi fuerunt, & Prædicatorem mendacij publicè arguere, voce fortissima, audientibus omnibus Auditoribus, clamantes, Pontificem esse verum Anti-Christum, qui bellum JEsu Christo, Crucem contra Christianos publicando, indiceret. Hos illico Magistratus in carceres conjecit, & facto processu, tanquam seditiosos & rebelles, scandalum hoc adversùs edictum Regis committentes, decollari curavit, non obstantibus populi clamoribus facilè compressis. Tum enim verò prodigiosa Hussitarum multitudo, Ecclesiasticorum, & utriusque sexûs Laicorum, ex omni conditione ac ætate, quos Joannes Hus concitavit, & maximè ejus devotæ atque Pœnitentes, quas Doctor Stephanus Paletz, contra Joannem Hus scribens, ejus Beguinas appellat, concurrit: quæ decollatorum sanguinem linteis extergebant; & miserè delirantes, illos tanquam Sanctos venerabantur, eorúmque sanguinem lambebant; corpora eorum in mundissima lintea involuta, & aureis tapetibus tecta, in Processione per Urbem deportabant, Antiphonam de Martyribus cantantes: *Isti sunt Sancti, qui pro testamento DEI, sua corpora tradiderunt;* atque ità illos magna cum veneratione in Ecclesia, Bethlehem dicta, deposuerunt, in qua Joannes Hus ordinariè suos seditiosos ad populum sermones habebat; eámque deinceps Ecclesiam *Trium Sanctorum* appellari volebant. O ineptissima cæcitas, vel potiùs furor & mania Hæreticorum! qui ut suæ passioni satisfacerent, cuncta, etiam, quæ ipsi aliàs damnare atque rejicere solent, in suam propriam adhibent ruinam! Nam Hussitæ, respuentes cultum, quô Ecclesia Sanctos honorat, Reliquias illorum, quas paulò ante illum tumultum in terram sacrilegè deturbabant, & priùs in Ecclesia Carmelitarum prostrabant; nihilominùs publicè deferebant cadaveribus illorum miserabilium, quos suæ sectæ Martyres appellabant, honorem, quem celeberrimorum in primitiva Ecclesia Sanctorum Reliquijs reddi non patiebantur.

Æn. Sylv. Hist. Bohem. Cochla. Hist. Hussit.

Paletz ap. Cochla. Non solùm illorum sic justè decollatorum sanguinem linteis, maximè Beguinæ tuæ extergerent &c.

Publicatio illa Belli Sacri & Indulgentiarum, quemadmodùm ubique locorum debita cum observantia fuit recepta, ità exiguum pro succursu adversùs Ladislaum produxit effectum; perquàm utilis tamen erat Pontifici Joanni. Nam Rex Ladislaus metuens, nè promulgatio illa Belli Sacri, Reges & Principes Christianos, qui ferme omnes Joannem Pontificem agnoscebant, ad ineundam confœderationem induceret, & se Regnô pellerent, conditiones pacis, quas ei Pontifex occultè proponebat, acceptavit, & concordiam cum Joanne Pontifice conclusit, eíque obedientiam præstitit. Et quia in Concilio Pisano decretum erat, ut post triennium denuò talis Cœtus Ecclesiæ convocaretur, pro reformatione Ecclesiæ in suo capite ac membris, hac pace cum Ladislao facta, opportunè illum Romæ posse congregari censebat, sub finem hujus anni, quo triennium exspirabat. Sed quia bellis præpediti Prælati, paucissimi convenerunt, Concilium in annum sequentem differre oportebat; interim tamen errores Wiclefi, & Hussitarum condemnari fecit, quibus vehementer affligebatur Bohemia. Pontifex paulò post intelle-

Diar. M. S. Venet. ap. Raynal Regest. Joann. L. 4. s.

Litt. Joann. Convoc. Conc. Constit. Mon. Dionys. L. 32. c. 9. Jo. Juvenal.

Annus 1413. tellexit, Ladislaum contra fidem datam, rursus moliri bellum; qui reipsa terras Ecclesiæ cum Exercitu denuò invasit, & usque ad portas Romanas ex improviso comparuit, Urbem pro defensione imparatam, nocte inter diem septimum vel octavum Junij, murô ex parte Ecclesiæ Sanctæ Crucis in Jerusalem, perfractô, & Exercitu introducto, intercepit. Totum quod in tanta perplexitate Pontifex agere valebat, erat, quòd equô celeriter conscensô in tam horribili totius Urbis confusione, Sutrinum cum festinatione se receperit, quem sparsim plerique Cardinales, Prælati, & Officiales sequebantur, eos ad tres leucas hostibus persequentibus, spoliantibus & occidentibus, omnes qui deprehendebantur: & quia nec ibi securus erat, nocte media Viterbium, inde Florentiam discessit, ubi usque ad Novembrem commoratus est. Interim Ladislaus totam ditionem Ecclesiæ cum Perusio, ubi hyemem transegit, in suam reduxit potestatem.

Cochl. V. t. II. Concil. Edit. Paris. Annus 1413.

Sammont. L. 4.

In hoc lamentabili rerum statu Pontifex duos Cardinales ad Sigismundum Imperatorem expedivit, qui cum Venetis de armistitio triennali tractabat in Forojulio. Cardinales Legati, juxta instructionem à Pontifice præscriptam, miserabilem Urbis Romanæ statum, à Tyrannide Ladislai oppressæ, expositurі erant, & cum eo, prout hic Princeps per literas desiderabat, de loco celebrandi Concilij conventuri, quod etiam hoc improviso eventu differebatur. Nunquam luculentiùs, quàm in hac occasione apparuit, quomodo Providentia Divina subitaneo sæpè ductu, omnes humanæ prudentiæ dispositiones evertat, ut suam producat. Hic Pontifex, prout Leonardus Aretinus Secretarius ejus, & cui plurima confidebat, asseverat, plenam apparenter potestatem contulit Legatis suis cum Imperatore, prout ipsis videretur, tractandi & concludendi de duobus suprà memoratis articulis: sed quia aliunde arbitrio Imperatoris committere se noluit, quoad locum & Civitatem, in qua ille dominaretur; in separata & arcana charta notavit certas Urbes Italiæ, extra quas illis expressè prohibebat, nè ullam aliam acceptarent. Nihilominùs, dum eos à se abituros dimitteret, & ad bene gerenda negotia, & fideliter munere suo fungendum hortaretur, jámque illis arcanum hoc scriptum consignare vellet, derepente mutavit sententiam: & postquàm illos egregijs laudibus, magna cum teneritudine affectûs cumulâsset, suámque integram confidentiam in eorum fidelitate collocâsset, dicebat, quòd, contra proprium priùs conceptum propositum nullatenus velit datam illis plenam potentiam, restringere, moxque scriptum priùs illis exhibitum, coram ipsis laceravit. Post breve tempus iterum mentem mutavit: intelligens enim quòd Legati, juxta desiderium Sigismundi consenserint, ut Concilium Generale pro die primo Novembris anni sequentis convocaretur Constantiam, Urbem Germaniæ & Imperatori subjectam, vehementer iratus, innumeris maledictionibus sortem suam accusabat; quòd nimirum, se manibus pedibúsque ligatum in manus Principis tradiderit, qui semper exequi poterit, quæcunque contra se statuere libebit Concilio. Attamen dissimulare oportebat, nè suspicionem & odium totius Christianitatis incurreret, & locum præberet credendi, quòd renueret Concilium, præsertim ubi apparebat, quòd Legati sui omnes cautelas & securitates possibiles procuraverint. Nam Imperator & Magistratus Constantiensis scriptô authenticô in optima forma promiserunt, quòd Pontifex cum tota sua Curia ibi omni securitate, & plena atque integra libertate gaudere debeat, honores omnes summis Pontificibus debitos, sit recepturus, suámque jurisdictionem in personas Curiæ suæ exerciturus, & pro arbitrio suo inde abiturus.

Lit. Joan. Indict. Concil Constan.

Ap. Antonin. p. 3. t. 22.

Annus 1413.

Litt. Sigis. in Act. Conc. Const. M.S. Bibl Vatic apud Raynal.

Annus 1413. Post hæc, Pontifex & Imperator Placentiæ convenerunt, & inde Laudem Civitatem in Ditione Mediolanensi sitam processerunt. Ibi Pontifex literas expedivit, quibus ad Concilium Mense Decembri celebrandum convocabat omnes Principes & Prælatos Christianitatis: Sigismundus pariter ex parte sua Principes omnes invitabat, & specialiter Galliæ Regem, celebri ad eum Legatione missa. Scripsit etiam Imperator ad Gregorium, eúmque ut in Concilio compareret, omni securitate illi promissa, hortabatur: sed cùm se pro vero Pontifice semper teneret, quamvis nonnisi à Carolo Malatesta Toparcha Ariminensi, ejúsque Ditione haberet obedientiam, non desijt tamen, fulmina vibrare inania contra totum mundum reliquum, omnésque alios tanquam Schismaticos, & super omnia contra Concilium Pisanum & postea Constantiense, quod prioris erat continuatio; quia nimirum, inquiebat, sine ipso convocari nequibat, & protestabatur, se nullatenùs submitti posse ulli authoritati vel Judicio cujuscunque Concilij, etiam legitimè convocati & universali.

Lit. Sigis. in Act. Conc. M.S. Bibl. Vatic. apud Raynal.

Antonin. p. 3. t. 22 c. 6. §. 2.

Gregor. Regest. apud Raynal.

Sigismundus non attenta hujusmodi protestatione, quæ posteà in Concilio Constantiensi producta fuit, cœpta sua prosequebatur, & pro celebratione Concilij cuncta disponebat, atque Cremonam cum Pontifice advênit; ubi simul de medijs resistendi Ladislao, qui Concilium impedire poterat, deliberârunt. Ibi duo isti, magni Principes, maximum subiverunt miserabiliter pereundi periculum, dum se uterque valde imprudenter arbitrio commiserunt, cujusdam Gabrini Funduli, hominis tempore suo improbissimi, qui ex Gubernatore Urbis illius Tyrannus factus est. Hic enim sceleratus, à suis hominibus in manus traditus est Philippo Mariæ Visconti Duci Mediolanensi, qui ei caput amputari curavit; animô desperatô Religiosis, qui eum ad pœnitudinem criminum exhortabantur, dum ad supplicium raptaretur, dixit, se maxima tangi pœnitudine, quòd omiserit, uti aliàs in animo statuerat, ex præalta turri Cremonensis Palatij præcipitare Pontificem, & Imperatorem, quam soli duo ascenderant pulcherrimi prospectûs gratiâ: nihil enim, addebat cum summo furore, aliud ad immortale nomen meum requirebatur. Ex hoc periculo Reges monentur, ut semper ubicunque morentur, satellitium pro sua securitate possideant. Pontifex post conferentiam cum Imperatore habitam, discessit Mantuam, de hoc ipso negotio cum Francisco Marchione Gonzaga tractaturus: inde provisione facta pro Gubernatione Avenionensi, expulsô præsidiô Catalaunicô, quod Petrus de Luna imposuerat, Bononiam profectus est, & ad omnes Principes pro succursu miserat contra Ladislaum, qui ad eum etiam Bononiæ aggrediendum se præparabat. Annus 1413.

Regest. Joann.

Annus 1414.

Et certè, Princeps iste, potentem habens exercitum, armistitiô cum Florentinis (qui cum Duce Mediolanensi, & Venetis confœderationem iniverant) contra Imperatorem ex Italia pellendum, ad sexennium conclusô, toti jam Italiæ redditus est formidabilis: dúmque à perturbata Gallia nulla sperare poterat auxilia Pontifex; ejus pernicies fuisset inevitabilis, & Concilium in tantis tumultibus bellicis celebrari non potuisset, nisi DEUS grande hoc pacis Ecclesiæ obstaculum subitò amovisset, Ladislaum ex hoc mundo funesta morte tollendo, quæ simul effectus punitionis esse videbatur ejus dissolutionum. Asseritur enim, quòd fœdissimè intoxicatus fuerit à filia unius Medici Perusini, quam vehementer adamavit; & quæ amorem augere cupiebat, adhibita illi quadam compositione, à suo Patre accepta ad id à Florentinis ùt dicebatur, conducto, qui Ladislao semper diffidebant. Quidquid de hoc sit, dum se malô incognitô & violentissimô correptum

Diar. M.S. Venet. ap. Raynal. Antonin.

Diar. Venet. M. S. Monstrel. Summont. & alij.

Summont. Niem. in Vit. Joann.

Annus 1414.

reptum sentiret, Bononiæ appropinquans, Romam transportari debuit, inde verò per mare Neapolim; ubi sexto die Augusti obijt annô ætatis quadragesimô, Regni verò vigesimô nonô. Cùm sine prolibus decessisset, Principissa Joanna soror ejus, Vidua Guilielmi Austriaci Comitis de Sterling Regina proclamata est.

Cæterùm etsi nuntium de morte Ladislai gratum Pontifici evênit, quòd metu inimici tam periculosi solutum se videret, à quo jam obsidendus erat Bononiæ; tamen in magnam conjectus erat perplexitatem, ob imminens Concilium. Nam ex una parte, præcipui ejus Officiales, cognati, & confidentes, quorum fortuna ab illius pendebat sorte, metuentes, atque etiam prævidentes, quæ illi eventura erant, obtestabantur, nè in Concilio compareret, & pro excusatione honesta speciosum assumeret prætextum, necessitatem videlicet, post mortem Ladislai, Urbes & Arces Ditionis Ecclesiæ, & maximè Romam recuperandi, quæ ejus duntaxat præsentiam & succursum, elevatis manibus expectabat, ad jugum Neapolitanorum excutiendum. Sed altera ex parte, Cardinales, qui cum ejus gubernandi ratione contenti non erant, & magnopere timebant, nè reformatio, quam desiderabant, emaneret, ipso ad Concilium non veniente, ei demonstrabant, honorem, totius Ecclesiæ bonum, & ipsius etiam particulare, atque obligationem eò se conferendi, & in Concilio personaliter præsidendi, quòd, cùm ibi pro indubitato agnosceretur Pontifice, qualis absque contradictione post Concilium Pisanum erat, nihil ei metuendum restaret, imò potiùs authoritas ejus firmaretur contra duos Antipapas, qui postmodùm à miserabili sua obedientia desererentur. His bene ponderatis, tandem Concilium quamvis difficulter, amplexus est, & se falsæ huic spei, quâ se mulceri sinebat, penitus commisit. Adhuc tamen novas capere volebat cautelas, & cum Friderico Duce Austriæ, in vicinia Constantiensi præpotente, secretò tractabat; cui præter magnam pecuniæ summam, promittebat munus supremi Belliducis Ecclesiæ à se conferendum, prout paucos post dies fecit; Ei Dux vicissim spopondit, se illum etiam Constantiæ contra omnes defensurum, eique abitum inde pro suo placito procuraturum. Jam enim Joannes decreverat, nonnisi brevissimo tempore manere in Conciliô, & post ejus initium, impletis hac ratione promissis, & gravioribus negotijs pro suo arbitrio dispositis, prout sibi imaginabatur, Bononiam reverti.

Aft. M. S. Vatic. Contil. Const. ap. Raynal.

Cod. Victor. p. 9. fol. 362. ap. Spond.

Niem. in Vit. Joann.

Annus 1414.

His ità constitutis primo die Octobris, cum pulchra & numerosa Cardinalium & Prælatorum Comitiva; per Veronam, & Tridentum, superatis Alpibus Constantiam pervênit, & summa cum magnificentia, Dominico die vigesimo octavo Mensis ejusdem, in Urbem intravit, tribus ante præfixum pro Concilio diebus, de quo nunc sinceram dabimus Historiam.



HI-



HISTORIA
DE MAGNO
SCHISMATE OCCIDENTIS,
IN COMPENDIUM REDUCTA.
TOMUS II.
LIBER V.

Annus 1414. Constantia Urbs Imperialis, inter Sueviam & Helvetiam ad ripam Occidentelem magnæ Paludis, quindecim ferme leucis Gallicis longitudinis, & circiter quatuor latitudinis, quæ hodie Lacus Constantiensis appellatur ab hac Urbe, quod nomen à Castris Imperatoris Constantini traxit, qui erat filius Constantini Magni, ibique contra Germanos, crebrò in Gallias irrumpentes Castra, metatus est. Urbs quidem non est ex maximis, attamen pulcherrima, atque amœnissima, in agro fertili, & bonis omnibus abundante, cum grandi suburbio trans-Rhenum, qui ex plaga Meridionali in Paludem intrat, & emensa ferme tota ejus longitudine, sinè commixtione aquarum, suum cursum ponè Urbem prosequitur. Hanc Imperator Sigismundus, præ alijs delegit Urbibus pro celebrando Concilio, quòd cùm sita esset inter Germaniam, Galliam, & Italiam, circumdata multis Civitatibus, & Oppidis per totum circuitum Paludis, & ubi merces omnes ex Italia venientes deponebantur, indéque in Germaniam deportabantur, ideò eam præ omnibus alijs, magìs opportunam, ad conveniendum ex omnibus Regionibus, atque ad subsistentiam Cœtûs tam numerosi, eligendam esse judicavit.

Crus. Antiq. Suevic.

Dresser. descript. Urb. Germ.

Munster. l. 3.

Annus 1414.

Die Festo Sanctorum omnium, qui aperiendo Concilio destinatus erat, Pontifex in magna Ecclesia, DEO, in honorem Sancti Stephani consecrata, Missam Pontificalem celebravit, & Cardinalis Sanctorum Cosmæ & Damiani Franciscus Zabarella, celeber Juris Consultus, ex Ambona legebat, & intimabat, quòd Sanctissimus Pater Joannes XXIII. continuando Sacrum Concilium Generale Pisanum pro reformatione Statûs Ecclesiæ, denuò convocaverit hoc Concilium in Urbe Episcopali Constantia Provinciæ Moguntinæ, inchoandum Sabbathô proximô, die tertio Mensis ejusdem; quod tamen in diem Lunæ, quintum Novembris dilatum fuit, & post solemnem, illo die, Processionem habitam, intimata solummodo est prima Sessio pro die decimo sexto Mensis ejusdem, quæ etiam hoc die celebrata

Act. Concil. Constant. Mon. Dionys. L. 34. c. 17. 19.

Annus 1414.

brata fuit. Sed quia Imperator Sigismundus nondum advenerat, &, quamvis magnus jam Episcoporum & Doctorum adesset numerus, plures tamen jam proficiscentes expectabantur: ideo Pontifex pronuntiatâ eleganti oratione de Concilio, desuper per eundem Cardinalem Zabarellam, qui communiter Florentinus appellabatur, legi curavit Bullam de Convocatione Concilij, ejúsque Officiales constitui; qui ex totidem Nationibus, ex quibus componebatur Concilium, electi fuêre; nimirum ex Germanica, Gallica, Italica, & Anglica. Deinde indicta est Sessio pro die decimo septimo Decembris, sed postea ad primum Martij translata. Interea temporis Patres congregabantur frequenter, & pro futuris Sessionibus cuncta disponebant, ac totô illô intervallô temporis efficaciter laborabant, maximè in præcipuo & omnium gravissimo pro pace Ecclesiæ negotio, nempe pro integra schismatis abolitione.

Append. ad Con. Constan. t. 12. Concil. Edit. Paris.

Pontifex, qui ad Concilium venerat, persuasus, quòd ejus authoritas firmissimè stabilienda esset contra Petrum de Luna, & Angelum Corarium, à Concilio Pisano depositos, proponi per Italos curavit in una Congregatione, cui non interfuerat, expediens esse, ut acta omnia Concilij Pisani confirmentur, & media quærantur efficacia, Decreta ejus exequendi, & postea pro reformatione Ecclesiæ laboretur. Hæc propositio, erat utilissima Pontifici: sic enim confirmata fuisset ejus dignitas, omni periculo illam amittendi remoto: erat etiam valde speciosa; cùm certum esset, quòd Concilium illud, & singuli, qui illud constituebant, censuerint, legitimè in Sancto Spiritu congregatum fuisse, & Ecclesiam Universalem repræsentâsse; dubitare consequenter non poterant, quin Joannes XXIII. verus ac legitimus esset Pontifex, & pro tali, à tota Christianitate agnoscendus; Cùm enim Concilium istud Constantiense authoritate Joannis convocatum fuerit pro continuatione Pisani; si dubia & incerta hujus Pontificis haberetur authoritas, evidens est, quòd etiam authoritas ejusdem Concilij talis fuisset: Quòd si esset Pisani continuatio, tenendum esset, Gregorium & Benedictum Antipapas esse, quos Concilium Schismaticos & Hæreticos declaravit, & deposuit; consequenter quòd pro legitimis verísque Pontificibus agnoverit Alexandrum V. & successorem Joannem XXIII. atque itâ diversus erat rerum status Constantiæ quàm Pisis fuerit. Pisis enim nesciebatur ab omnibus cum certitudine, quisnam esset verus Pontifex; & ideo stante hoc dubio, ambo Competitores depositi fuerunt, ut unus verus & indubitatus eligeretur: Constantiæ autem, nihil de vero Pontifice Joanne ambigebatur, & quòd Pisis depositi, Antipapæ fuerint. Æquissimum itaque videbatur, ut, quemadmodùm in alijs præcedentibus factum est schismatibus, vero Pontifici adhæreretur, quem Ecclesia in Concilio Generali repræsentata, pro tali agnoscebat; & media pro Antipapis exterminandis quærerentur.

Annus 1414.

Sed ex altera parte complures inveniebantur, quorum Dux fuisse dicitur Doctor Petrus de Ailly, postea Cardinalis, quem Doctores Galli sequebantur, & scriptò in Congregatione Patrum demonstrabant, quòd Concilium Pisanum, cujus authoritas in dubium vocari non poterat, & Constantiæ continuabatur, pro fine atque scopo habuerit unitatem Ecclesiæ, atque partium divisarum unionem, quæ nondum est perfecta, obstringat Prælatos, & ipsum Pontificem, ad procuranda justa media hujus reunionis perficiendæ; & quòd ad hoc non solùm Concilium istud, verùm etiam jus Naturale Divinúmque obliget, ac denique contrarium tenere, aliud non foret, quàm schismati favere. Major pars Episcoporum atque Doctorum in hac eadem erant sententia, qui tamen adhuc apertè se declarare non audebant,

Annus 1414.

bant, usquedum numerus major Anglorum atque Gallorum, quos in eadem sententia futuros, non dubitabatur, advenirent: & sic partes Pontificis, usque ad adventum Imperatoris, sustinebantur.

Gobell. c. 94. Litt. Sigis. ad Joann. apud Bzov. Cochla. L. 2. Naucler Gen. 48.

Hic Princeps, determinatô cum Legatis Pontificijs locô celebrandi Concilij, ad accipiendam Imperij Coronam Aquisgranum profectus est, ibique octavo die Novembris coronatus, Uberlingam, ponè Paludem, è regione Constantiæ sitam, in Vigilia Natalis Domini advênit, & eadem nocte cum Imperatrice Conjuge sua, & nonnullis Principissis, ac Duce Saxoniæ navi conscensâ, per latitudinem Paludis, paulò ante dimidium noctis Constantiam appulit, & mox in magnam Ecclesiam se contulit, Missæ Pontificali adstiturus, ubi Dalmatica Imperiali indutus, Evangelium, *Exijt Edictum à Cæsare Augusto*, cantavit. Imperator iste, annorum, illo tempore, circiter quadraginta sex, erat Princeps, in quo natura videbatur voluisse, magnis perfectionibus corporis, mentis & animæ corrigere, defectus & vitia, quæ dignitatem Imperialem in Wenceslao fratre suo natu majore, Caroli IV. filio, deturpabant. Nam & Majestate Regia, quam in procero ostentabat corpore, & liberalitate ac magnificentia, multarúmque linguarum peritia insigniorem reddidit, & omnes facilè suæ ætatis Reges antecellebat. Fuit enim Sigismundus, Princeps humanissimus, proceræ ac insignis staturæ, pulchra facie, crispa cæsarie, barbâ prolixâ: Facundissimus ac ingeniosissimus Princeps, de cujus vita & gestis liber insignis & grandis conscriptus est. Latinam linguam, præter alias, eleganter loquebatur; Viros doctos diligebat, & honorabat, quos undique ad suam Curiam suâ munificentiâ alliciebat; fastuosam & ineptam contemnebat ignorantiam Nobilium, qui stolidè sibi honori ducebant, literarum contemptum: multis præterea ornatus erat Virtutibus Moralibus & Christianis, maximè autem Zelô Fidei & unionis Ecclesiæ contra Hæreticos, atque Schismaticos, prout in Concilio isto ostendit; quamvis interdum nonnihil ab eo deflectere videri potuerit, prout in decursu Historiæ istius patebit. Et nè quidquam contra fidelitatem Historiæ debitam reticeamus, etiam suis non caruit defectibus, atque infelicitatibus, quibus à classe Heroum removebatur, præsertim incontinentiâ suâ, & continuis cladibus, quas in bellis ferebat, passus est; præter ignominiam Imperatricis Barbaræ suæ secundæ Conjugis, quæ sæculi sui Messalina fuit. Hæc vera est Imago Sigismundi Imperatoris, qui non postremum habet in Historia Concilij Constantiensis locum.

Joann. Cuspin. in Sigis.

Cuspinian. ib.

Pontifex multum contulit apud Electores, ut Imperator eligeretur; ejúsque amicitiam, omni genere officiorum sibi conciliare satagebat in conferentijs, cum illo in Italia habitis: scripsítque ad eum literas officiosissimas, & affectuosissimas, in congratulationem de coronatione illius, omnia, quæ in sua erant potestate offerendo, & ut quantocyùs ad Concilium veniret rogando, ubi interim nihil alicujus momenti concludendum esset; ità ut spem sibi fecerit, Sigismundum fore in omnibus, & præcipuè in conservanda sua dignitate, sibi faventem. Sed magnopere seipsum fefellit. Hic enim Imperator, qui Concilium istud tanto cum ardore & zelo procuravit, ex unico fine pacem reddendi Ecclesiæ, & schisma residuum exstinguendi; resolutus omnino erat ad omnes vias amplectendas, quæ magis efficaces ei ad hunc finem assequendum proponerentur; inde sibi honorem in Orbe Christiano comparaturus. Reipsa, cùm de controversia inter Italos & Gallos edoctus esset, de rebus primò tractandis in Concilio, absque omni hæsitatione opinioni Gallorum, & aliorum accessit, & sensa Cardinalis de Ailly approbans, edixit, inchoandum esse à medijs examinandis & adhiben-

Litt. Joann. ad Sigism. in Act. Concil.

Annus 1415. hibendis pro reunione totius Ecclesiæ, nè alioqui Schisma evaderet perpetuum.

Att. Viller. ap. Spond. Append ad Conc. Const. t. 12. Conc. Edit. Paris. Antonin. Nauclen. Sed, quod locum præbuit, hanc opinionem tuentibus, sensa sua explicandi clariùs, erat adventus trium Cardinalium à Gregorio, & aliorum à Petro de Luna missorum ad Concilium. Hi Mense Februario advenerunt, quibus, permissum est pro bono pacis, ad quam, asserebant, suos Dominos esse pronissimos, ut cum rubris Galeris intrarent, non tamen inter alios Cardinales sederent. Cardinales Gregorij se cum Cardinali Ragusano Joanne de Dominicis, qui in eadem causa venerat, conjunxerunt. Ludovicus Bavarus Reginæ Galliæ frater, qui paulò antè advenerat, & partes Gregorij tuebatur, cum illis & nonnullis Prælatis atque Doctoribus hujus obedientiæ, Imperatorem, totúmque Concilium assecurabant, Gregorium paci Ecclesiæ nullatenus obsistere, qui se ipsum in persona, vel per Procuratorem deponere paratus est, & cum Concilio unire, ejúsque Decisionibus submittere, dummodo ille, qui se Joannem XXIII. nominat, ibi non præsideat, neque compareat. *Append ad Concil.* Prima eorum propositio promptè acceptata fuit, non tamen secunda; cùm enim Concilium Joannem pro vero Pontifice agnosceret, illum in eo præsidere oportebat, usquedum hac suprema exueretur dignitate. Cardinales Petri de Luna aliud non attulerunt, quàm quòd paratus esset ad conferendum Niceæ in Provincia cum Imperatore & Ferdinando Rege Arragoniæ, de unione, prout jam antea conventum erat. Hoc enim solum Sigismundus per suos Legatos, à Petro de Luna obtinere potuit.

Interea zelantes pro pace, videntes quòd missi à Gregorio viam cessionis aperirent, & Imperatori, qui cum Pontifice dissidebat, placeret; occasionem hanc, pro hac via cessionis confirmanda susceperunt. Cardinalis Sancti Marci, hac de re scriptum confecit, in quo demonstrabat primò, viam cessionis inter omnes alias esse faciliorem, breviorem & efficaciorem: nam via discussionis jurium uniuscujusque, præterquàm quòd terminari nunquam posset, etiam in dubium authoritatem Concilij Pisani vocaret: reductio verò duorum contumacium, manu armatâ, bellum exigeret, cujus exitus esset incertus. Secundò, quòd Joannes XXIII. qui est verus Pontifex, teneatur in conscientia hanc viam cessionis amplecti, & vitam propriam, multóque magis dignitatem suam pro tanto bono, qualis est unitas Ecclesiæ, sacrificare; quandoquidem Bonus Pastor vitam pro suis ovibus dare debet. Quoad alios duos concurrentes, cùm jam per sententiam Concilij sint depositi, & tanquam rebelles atque contumaces puniendi, ex gratia mera, pacis causâ ad cessionem esse admittendos. Tertiò, quòd in præsenti necessitate urgente unitatem Ecclesiæ stabiliendi, & schisma penitùs exstinguendi, cui attentis omnibus circumstantijs nondum ab ortu Christianitatis visum est simile Concilium, quod præferre debet bonum universale totius Ecclesiæ, particulari bono sui capitis, cogere illud, alijs duobus cedentibus possit, in casu, quo viam tam rationabilem, támque necessariam ad firmandam unitatem amplecti renueret; quamvis credendum & sperandum videretur, quòd si humiliter, & devotè exponatur Joanni, Domino, vero summo Pontifici & Gregis Dominici Pastori, quatenus dignetur Sua Sanctitas, veri & pij Pastoris supra gregem suum oculos aperire, id facturum, nè diutiùs tam longo & pernicioso Schismate laceretur. Annus 1415.

Scriptum hoc valde approbatum est ab Imperatore, qui rejectâ viâ discussionis, omnibus illud communicari curavit quatuor Nationibus; quæ omnes pariter illud approbârunt. Adhærentes Pontifici, videntes, quòd alij omnes in eandem irent sententiam, conterriti, plura etiam pro

Annus 1415.

pro parte sua scripsêre; sed adeò infirma, ut quæstionis non attingerent substantiam, an videlicet verus Pontifex pro tali agnitus, cogi possit ad cessionem in casu tali, qualis tunc erat? Aliud enim non proferebant, nisi, quòd, si ad cedendum cogatur, ostenderetur eô ipsô illum non verum esse Pontificem, quô Authoritas Concilij Pisani everteretur. Ad hoc Cardinalis de Ailly prolixè ac disertè respondit, quòd adhuc exactissimè impleretur mens atque intentio Concilij Pisani, ubi, tametsi quælibet obedientia pro suo, tanquam legitimo staret Pontifice, adhuc ex utraque parte consentiebatur, quòd Pontifex ille pacis gratiâ cedere Pontificatum teneretur; quia pars una orbis Christiani Obedientiam illi denegabat: & sic tametsi Concilium, Joannem pro vero Pontifice agnosceret, qualis reipsa erat, & à toto mundo teneri debebat, nihilominùs quia nonnulli adhuc erant Reges & Principes, qui contrarium sentiebant; ideò illum, licèt verum Pontificem, obligatum esse ad cessionem, si duo alij eam acceptârunt; cùm in præsenti statu illo nullum aliud propinquius & efficacius medium pro pace Ecclesiæ superesset, quo Schisma exstingueretur, & Orbis Christianus, sub uno solo capite reuniretur.

De Auferibil. Pap. Hæc fuerunt, quæ doctus ille Cardinalis, pro sua & Concilij, produxit opinione. Sed tam ipse, quàm ejus Doctores & Joannes Gerson, qui paulò pòst advenerat, & ista quantum poterat, confirmabat, ùt in ejus est videre operibus. Eandem sententiam probare, atque confirmare poterant summo cum plausu, prout quidam scriptor Gallicanus addit, ex Doctrina Sancti Augustini, qui hanc quæstionem, cum dignitate Doctoris Maximi admirabiliter decidit. Durante Schismate Donatistarum, quo tota dividebatur Africa, in plerisque Urbibus duo erant Episcopi, unus Catholicus, alter Schismaticus. Paulò ante celebrem istam conferentiam Carthaginensem, in qua Donatistæ confusi manserunt, in præsentia Comitis Marcellini Commissarij ab Imperatore Honorio missi; Episcopi Catholici ad hunc Comitem scripserunt litteras, in quibus, inter alia dicebant, ad ostendendum pacis desiderium, quòd si vincantur, suos deserent Episcopatus, nihil porrò quæsituri; quòd si vicerint, ità ut posteà dubitari nequeat, se Pastores veros esse, adhuc tamen pacis gratiâ consentiant, nè duo in eadem Ecclesia cernantur Pastores, utrique de medio cedant, & Ecclesijs singulis, damnatâ schismatis causâ in unitate pacifica constitutis, singuli constituantur Episcopi. Post aliquod ab hac conferentia tempus, Sanctus Augustinus cum pluribus Episcopis in Urbe Cæsareæ in Mauritania existens, legi publicè curavit has literas in magno Cœtu Catholicorum & Donatistarum, ubi Emeritus aderat schismaticorum Episcopus: dúmque ad hanc deveniretur literarum partem, Sanctus Doctor Alipium legentem interrumpens, rem ad magnam ædificationem narravit, quæ paucis diebus ante conferentiam Carthaginensem accidit in quodam conventu trecentorum Episcoporum Catholicorum; ubi publicè declarabatur, opinionem quorundam fuisse, quòd pro bono pacis cedendum esset Episcopatu, quia unitas Ecclesiæ bonorum omnium maximum, alijs omnibus præferenda censebatur; & ità ut Episcopi aut retinere, aut dimittere suos Episcopatus tenerentur: quia pro pace Christi, Episcopi debent esse, vel non esse. Timebatur, nè propositio ista malè acciperetur, & hujusmodi Sacrificium à plerisque rejiceretur. Sed amœna cum admiratione compertum est, quòd omnes illam tanto cum fervore ac zelo approbaverint, ut unusquisque cum gaudio protestatus fuerit, se pro conservanda unitate, pleno corde paratum esse suum resignare Episcopatum, eúmque ità resignando non perdere, sed DEO in depositum locare. Denique ex trecentis illis Episco-

Annus 1415.

August. L. de Gest. Emerito Donatistarum Episcopo t. 7. Edit. Paris.

Annus 1415.

quem licet Concilium esse voluerit, secretum ei tamen descriptum in manus venit: & quia in conscientia sua, atque etiam propria inter suos confidentes, confessione, reum noverat illorum criminum, tametsi protestaretur, nonnulla per calumniam esse imposita, nihilominus ad avertendam hanc imminentem sibi tempestatem, statuit, se liberè ac spontè facturum, quod alioqui coactus per sententiam judicialem omittere non posset. Quapropter convocatis vespere diei decimi sexti Februarij quatuor Nationibus, in præsentia Imperatoris, edixit illis, quòd, ad ostendendum Orbi universo ardens desiderium pacis Ecclesiæ, paratus sit, ei suum quoque sacrificare Pontificatum, & hanc renuntiationem, juxta formulam à Cardinali Florentino apponendam, se facturum pollicebatur. Hæc promissio magnis cum plausibus totius Cœtus accepta fuit: quia verò Formula ista, uti etiam altera, quæ primæ substituebatur, terminis quibusdam æquivocis concepta erat, & nonnulla, quæ Concilio non placebant, continebat, aliam tertiam conficere per Deputatos Universitatis Parisiensis cum Joanne Gersone Cancellario oportebat, in quam Nationes omnes consenserunt; qua facta denuò protestabatur, se omnia, quæ ibi continebantur, toto corde præstiturum, quandoquidem Constantiam non alio fine advenerit, quàm ut pacem integram conferret Ecclesiæ. Desuper, magnis gratijs ab Imperatore, atque à Patriarcha nomine Concilij actis, conclusum est sessionem secundam Concilij, sequenti die, ad reddendum magis authenticum Actum, celebrandam esse.

Append. ad Conc. tom. 12. Edit. Parij.

Proinde habita est secunda Sessio die secundo Martij in magna Ecclesia, ubi majore jam parte Prælatorũ præsente, Cœtus erat unus è maximis, quos unquam Ecclesia DEI habuit: aderant enim, quamvis non semper eodem tempore, Cardinales viginti novem, Archi-Episcopi & Episcopi trecenti, & innumerabilis multitudo aliorum Prælatorum, & Doctorum ex omnibus Europæ Nationibus, præter adeò magnum numerum Principum, & Legatorum, ut dicatur, quòd Constantiæ & circa illam, triginta quatuor millia equorum, peregrè venientium ad Concilium, fuerint reperta. In hac Sessione Pontifex ipse Concilio præsedit; & post Missam de Spiritu Sancto Pontificaliter celebratam, consensô Thronô, ad Altare conversus, alta voce legit: *Nos Joannes Papa XXIII. pro pace Populi Christiani, promittimus, vovemus, & juramus DEO;* quæ genuflexus pronuntiavit, & manibus pectori admotis, addebat; *Et promitto, me inviolabiliter votum meum observaturum*: Tum in Thronum rediens, prosequebatur: vovemus & juramus DEO, Ecclesiæ, & huic Sacro Concilio, liberè, ac spontaneè, reddere pacem Ecclesiæ, viâ simplicis ac puræ cessionis per nos, summi Pontificatûs, eámque effectivè implere, juxta deliberationem præsentis Concilij, toties, quoties Petrus de Luna & Angelus Corarius, qui à suis obedientijs, Benedictus XIII. & Gregorius XII. appellantur, pariter per se ipsos, aut per suos Procuratores renuntiabunt Pontificatui, quem prætendunt: Promittimus etiam, nos idem facturos in quocunque casu sive cessionis, sive mortis, sive alio quocunque in quo reuniri poterit Ecclesia DEI per nostram cessionem, ad præsens Schisma exstirpandum. His peractis, Imperator, qui habitu Imperiali indutus in sessione aderat, è suo throno surgens, inter acclamationes totius Cœtus, depositâ Coronâ in terram prostratus, ante Pontificem, pedes ejus osculatus est, eique nomine Concilij suóque, pro tam generoso actu, gratias egit, quod etiam Patriarcha Antiochenus præstitit. Postmodùm Imperator, Principes, Legati & totum Concilium reciprocè spondebant Pontifici, se vires omnes spirituales & temporales, ad ejus in sua dignitate conservatio-

Act. Conc. Const. Antonin. p. 3. L. 22. c. 6. §. 2. Naucler. Cochla. Hist. Hussit. L. 2.

Act. Vi-ctor.

Annus 1415.

vationem impensuros, contra suos adversarios, casu quo illi suis existimatis juribus renuntiare detrectarent. Desuper *Te DEUM*, decantatum est, & Pontifex de his, suas Bullas ad omnes Principes & Fideles jussit expediri, acta sua confirmans, omnes adhortando, ut idem fieri procurarent à Benedicto, & Gregorio, ut quantocyùs secura & solida pax Ecclesiæ tribuatur. Sed paulò pòst, natâ inter Pontificem & Concilium diffidentiâ, novas excitavit difficultates, & pulchras illas dispositiones, in reciprocas mutavit querelas, quæ tandem in apertam eruperunt dissensionem.

Litt. Encycl. Joann. ap. Mon Dionys. & Raynal.

Concilium habita jam promissione, qualem desiderabat à Pontifice; eam pariter volebat à Gregorio & Benedicto ad consumandum pacis negotium. Quoad Gregorium, nulla reperiebatur difficultas, cujus Legati promittebant, eum Concilio plenè satisfacturum, prout reipsa fecit, data post paucos dies procuratione sua, qualis desiderari poterat. Sed de Benedicto, cùm semper conferentiam, quam ipse & Rex Arragoniæ Ferdinandus proposuerant, postularet, Concilium ab Imperatore obtinuit, ut toto Mense Julio Nicæam proficisceretur, & cum Benedicto ac Rege Ferdinando, qui eodem tempore Villamfrancam pro sua securitate venturus erat, tractaret. Tum Pontifex, hanc occasionem, sibi faventem ratus apprehendit, opportunum fore dicebat, ut ipse in Persona eò se conferret, ad negotium tanti ponderis accelerandum, alioqui, se absente diu protelandum. Sed neque Concilium, neque Imperator, in hoc ejus Consilium consentire volebant, collusionem jure timentes, qualis inter Gregorium & Benedictum fovebatur; ità ut Joannes dissimulare coactus, literas potiùs, quales pro authoritate conferentiæ petebantur, expedire debuerit.

Act. M. S. Conc. apud Raynal. Append. Concil. Const. Niem. in Vit. Joann.

Lit. Joann. ad Sigism.

Interea Concilium, cui hoc diverticulum Pontificis suspicionem ingessit, metuebat, nè modò aliquô dissolutionem Concilij meditaretur, & promissa eluderet. Pro securitate igitur, quatuor Nationes petiverunt, continuari Concilium usque ad plenam Ecclesiæ pacem; nè aliò transferatur, nec ipse Pontifex Constantiâ secedat, & procurationem suam ad renuntiandum suo nomine Pontificatui extradat, ut nemini à Concilio recedere liceat, nisi in casu infirmitatis vel defectu mediorum ad vivendum; denique ut Pontifex Bullas de omnibus articulis promissis expediat, quibus inviolabiles permaneant. Ad quæ respondit Pontifex, in primum articulum se perquàm libenter consentire, cùm nihil magis quàm unionem cuperet. Quoad reliquos, occurrere sibi difficultates; quòd ei magis opportunum videretur, Concilium propè Nicæam transferri, ubi conferentia inter Imperatorem & Regem Arragoniæ, ac Petrum de Luna erat instituenda, ut ad eam ipse cum toto Concilio veniret: & quòd, ubi ad renuntiationem Pontificatús juxta sua promissa ventum fuerit, longè honorabilius foret, si ab ipso personaliter, quàm per Procuratorem fiat. Hôc responsô augebatur suspicio, de intentione Pontificis parum sincera; tantò magis, quòd in suo proposito perseveraret, etiam dum Legati Gregorij protestabantur, quòd ipsorum Dominus nullatenus Nicææ comparare velit, sed vel Constantiam venire, vel Procuratione conferre ad renuntiandum; Legati etiam Benedicti, apertè assererent, quòd neque ipse, neque Rex Ferdinandus tractare quidpiam velint, sive cum Concilio, sive cum Joanne, sed cum solo Imperatore, ad quem missi sunt.

Annus 1415.

Dum ità hæc agerentur, Fridericus Austriæ Dux, ex Artesia, ubi cum Duce Burgundiæ conferebat, & constabat, eos Pontifici favere, Constantiam advênit; & mox rumor increbuit, hunc Principem non alio fine advenisse, nisi ut Pontificem abduceret; qui eodem tempore ægritudinem simulabat, & omnimodè adver-

Antonin. t. 22. c. 6. §. 2.

Niem. in Vit. Joann.

Annus 1415. scopis, duo duntaxat in contraria fuêre sententia, quorum unus erat bonus Senecio, qui ex devotione mori volebat Episcopus, dicebátque ingenuè, se utpote verum Ecclesiæ suæ Pastorem, nunquam dimissurum Episcopale Officium. Alter vultu satis ostendebat, se pariter constitutum esse. Sed posteaquàm illum senem liberiùs hoc dicentem obruit fraterna correptio, isto mutante sententiam, vultum ac mentem etiam aliter mutavit. Post hanc interruptionem Alipius prosequebatur lectionem, ubi Episcopi ad cessionem suorum Episcopatuum addebant pulcherrima verba sequentia: *Quid enim dubitamus Redemptori nostro sacrificium istius humilitatis offerre? An verò ille ex cœlis in humana membra descendit, ut membra ejus essemus, & nos nè ipsa ejus membra crudeliter divisione lanientur de Cathedris descendere formidamus? propter nos nihil sufficientius, quàm ut Christiani fideles & obedientes simus. Hoc ergo semper simus: Episcopi autem propter Christianos populos ordinamur. Quod ergo Christianis Populis ad Christianam pacem prodest, hoc de nostro Episcopatu faciamus.* Post hæc Sanctus Augustinus ad omnes præsentes conversus, hunc brevem addidit commentarium: *Quid debes esse tu? cuicunque loquor vestrum; Christianus fidelis obediens: hoc tu propter te; hoc & ego propter me. Ergo quod tu propter te, & ego propter me; semper esse debemus. Quod autem sum propter te; sim, si tibi prodest; non sim, si tibi obest.* Rursus Alipius lectionem prosequens, sequentia proferebat: *si servi utiles sumus, cur Domini æternis lucris, pro nostris temporalibus invidemus? Episcopalis dignitas fructuosior nobis erit, si gregem Christi deposita magis collegerit, quàm retenta dispersserit.* Ubi Sanctus Augustinus iteratò, se ab interruptione continere non potuit, & exclamavit: *si, cùm volo retinere Episcopatum meum, dispergo Gregem Christi; quomodo est damnum Gregis, honor Pastoris?* Et mox Alipius quasi ex condicto cum illo ageret, addebat quæ in literis sequebantur: *Nam qua fronte in futuro sæculo promissum à Christo sperabimus honorem, si Christianam in hoc sæculo noster honor impendit unitatem?*

Igitur juxta Sanctum Augustinum & trecentos illos Episcopos Africanos Catholicos, Episcopus & consequenter Pontifex, qui primus est inter Episcopos, licèt verus Pastor, prout erant isti Episcopi Catholici, & Joannes XXIII. juxta mentem Concilij Generalis, renunciare, atque cedere tenetur Episcopatum & Pontificatum, si eum retinendo, in similibus schismatis circumstantijs, reunionem totius impedit Ecclesiæ. Nihil fortius est ad evincendum, quòd Concilium jure voluerit, ut hic Pontifex, quem pro summè legitimo tenebat, Pontificatu cederet, in casu, quô ejus duo adversarij idem præstarent, quia cùm essent populi & Regna integra, quæ illum non agnoscebant, rationabiliter sperari non poterat, ut aliâ viâ unitas stabiliretur.

Sic nimirum infert scriptor Gallicanus; ejus tamen illatio haud legitima esse videtur, ex authoritate D. Augustini deducta. Etenim certissimum est apud omnes, quòd Episcopus quisque particularis habeat se altiorem in terris, à quo cogi & deponi possit; prima autem sedes, uti decantatissimum est apud omnes bonos Catholicos, à nemine judicatur, consequenter neque cogitur, neque deponitur legitimè. Hinc etiàm acta Concilij Constantiensis, quoad hunc actum à nemine bono Catholico probantur. Disparitas proinde latissima est inter Episcopos particularium Ecclesiarum atque legitimum Pontificem Romanũ, qui est universalis Ecclesiæ Episcopus: atque ità illatio Scriptoris Gallicani ex authoritate Divi Augustini penitus evanescit. Quod ad Gersonem attinet, meminisse juvat eorum temporum, quibus de potestate Ecclesiæ scripsit; ea nempe fuerunt, ubi plurimæ in mundo, ob Schisma Benedicti de Luna *Posse-vin. t. 2. Appar. Sacri. pag. 185.*

Annus 1415.

Antipapæ, & aliquot Anti-Cardinalium erant altercationes; & verò dum in Synodo Constantiensi hoc agitaretur, unusquisque licèt Catholicus & doctus, varijs sententijs distineretur; quisque tamen sartam tectam Ecclesiam Christi, & unam inconsutilem vestem optabat. Inter hos fuit Joannes Gerson, qui aliquando in suo sensu abundans, & sibi plus æquô tribuens, si ad tempora sequentia respexisset, & secundas ùt vocant, audivisset cogitationes, præsertim eas, quæ ab eadem Ecclesia ritè congregata, non semel, iterúmque profectæ fuerunt; sanè alia; melioráque sensa concepisset; prout postmodùm in simili fecit. Pius II. Pontifex.

Quæstio ista, quæ magno cum fervore in utramque partem agitabatur, & in præjudicium Pontificis flectebatur, magnam ei causabat amaritudinem, eúmque indies magis magisque cum Imperatore collidebat, qui se pro via cessionis declaravit. Sed spem, animúmque erexit ex adventu Joannis Nassoviensis Electoris & Archi-Episcopi Moguntini, qui Constantiam Januario Mense cum superbo intravit apparatu, & Principi Ecclesiastico parum congruo, cum gladio à latere, sago scilicet militari sericeo supra loricam, ducentis Viris armatis, sexcentis equis, & deportato ante ipsum grandi vexillo, cum suis insignibus gentilitijs, opere phrygio, aurô atque argentô elaboratis. Hic stabat cum Friderico Austriaco pro Pontifice contra Imperatorem, metuens nè cum incremento authoritatis, nimiùm potens evaderet, postquàm in Concilio, quæ vellet, efficeret, & Pontificem ad cessionem cogeret, aliúmque sibi devotum, atque obnoxium eligi curaret. Eapropter partibus Pontificis accessit, eúmque in suam adeò clarè suscepit protectionem, ut in quodam magno Prælatorum consessu palàm fuerit protestatus, se nulli novo Pontifici obedientiam præstiturum.

Act. Victor. Antonin.

Act. Regest. Biblioth. apud Spond. Naucler Gen. 48. Hist. Concil. Const. German. Augustæ 1483.

Act. Victor.

Fridericus Austriacus; jam priùs cum Pontifice amicitiam conclusit, etiam Burgundiæ Duce, qui assistentiâ Pontificis, ejúsque in Pontificali dignitate conservatione indigebat accedente. Suos proinde Legatos misit ad Concilium in defensionem Joannis XXIII. atque ità Elector Moguntinus, Legati Friderici & Burgundi, cum Italis Pontifici devotis, factionem notabilem conflârunt; qui omnes impedire conabantur, nè porrò quidquam de via cessionis ageretur; sed solùm ut executioni mandarentur Decreta Concilij Pisani adversùs Antipapas, & ità electio Alexandri & Joannis firmaretur. Verùm omnes isti conatus fuêre inutiles. Nam tres Nationes, Germanica, Gallica, & Anglica, quæ pacem Ecclesiæ, via breviore, faciliore ac efficaciore urgebant, constanter pro cessione stabant. Cúmque inter nationales Italos permulti erant Prælati, gratiâ Pontificis egentes; etiam audiebatur, quòd multi eorum juraverint, sed causam ejus semper defensuros, ideò post non leves contradictiones, tandem conclusum est; quòd pro servanda perfecta æqualitate, non secundùm capita, sed secundùm Nationes, ferentur & computabuntur suffragia; & quælibet natio ex pluralitate vocum intrà sua membra, unicum sit habitura suffragium. Atque ità quatuor Nationes separatim congregatæ ad deliberandum de via, pro schismate abolendo, eligenda, omnes tandem etiam Italica, in viam cessionis consentiebant. Perculit hoc vehementer Pontificem, qui probè videbat, impossibile sibi fore, consensioni tam unanimi, & generali resistere. Maximè autem, ac postremò illum ad consentiendum impulit, metus, nè Concilium, si porrò viam cessionis renueret, contra ipsum viâ depositionis procederet.

Annus 1415.

Append. ad Act. Concil. Const. tom. 12. Edit. Paris.

Niem. in Vit. Joann.

Monitus quippe jam fuerat, quòd in Congregationibus Nationum, prolixus enormium criminum syllabus, contra ipsum fuerit productus, quem

Annus 1415.

versùs auram Conſtantienſem querulabatur, ſibi vehementer impropitiam. Hæc res valde ſollicitum reddidit Sigiſmundum, qui, audito illo rumore, non omninò malè fundato, Pontificem acceſſit, Eíque locum deliciosum auræ ſaluberrimæ, qualia circa Paludem poſſidebat, obtulit; & nè aliò diſcederet, rogavit; quod Pontifex illico & abſque ulla hæſitatione promiſit; quin tamen crederet, ſe contra promiſſionem acturum ſecedendo, utpote perſuaſus, quòd eô ipsô Concilium & omnis ejus authoritas expiraret. Dux Fridericus conſtanter negabat Imperatori, ſuſpicioni de ſuo adventu conceptæ, quidquam ſubeſſe, aſſerebátque ſe Conſtantiam non veniſſe, niſi ut inde ad ſuas ditiones tranſiret, quas in vicinia illa poſſidebat, nempe Briſcojam, partem Sueviæ atque Alſatiæ, cum reliquis Domûs Auſtriacæ in Helvetia terris.

Act. Reg. Bibliot. Act. Jacob. Cerreten. apud Bzov.

Intereà conſtabat, permultos fuiſſe, qui abitum Conſtantiâ meditabantur. Imperator à Concilio rogatus, portas cuſtodiri juſſit; ubi Cardinalis Sancti Angeli, quaſi animi gratiâ deambulaturus, ſed reipſa libertatem evadendi exploraturus, ibi retentus fuit. Inde anſam accepit Pontifex, apertè querulandi contra Sigiſmundum, quòd fides publica violaretur, ſibique libertas tolleretur, quam Imperator & Magiſtratus Conſtantienſis, Actis authenticis pollicebantur. Sigismundus ipſe, re meliùs perpenſa, nonnihil attonitus, jure metuebat, nè Cuſtodijs illis portarum continuatis, Pontifex, prætextu ſemper ſpecioſo, declararet, nullum ampliùs eſſe Concilium, poſt infractam fidem ac promiſſionem illi ſolemniter datam. Quapropter ſinè mora Pontificem cum excuſatione & magna ſubmiſſione adivit, eúmque ſecurum faciebat, id factum non fuiſſe; niſi ad præpediendum, prout ipſe deſiderabat, nè aliqui Prælati diſſolutionem Concilij quærentes, elaberentur. Sed cùm ſua Sanctitas id non approbet, ſe jam

Act. Victor. Act.

cuſtodias illas amandari juſſiſſe, quæ in veritate nec uno die integro portas cuſtodiebant, priſtina libertate omnibus relicta. Pontifex his acquieſcere videbatur. Sed dum ſemper urgeretur, ad præſtandam procurationem ſuæ Renunciationis, & reſponſum hac de re clarum exigeretur; ſumma cum admiratione, die vigeſimo primo Martij tempore matutino innotuit, Pontificem non ampliùs eſſe Conſtantiæ.

Annus 1415. *Concil. Append. ad Concil. Conſt. Naucler. Gen. 48. p. 278. Hiſt. Germ. Concil. Mon Dionyſ. L. 24. c. 21. Act. Victor.*

De facto, hic Pontifex credebat, vel ſe credere fingebat, libertatem ſibi Conſtantiæ ſublatam eſſe. Poſteaquàm cum Duce Friderico & Legatis Ducis Burgundiæ omnia diſpoſuiſſet, Conſtantiâ ſeceſſit cinerei coloris habitu, inſtar Equitis tranſveſtitus, & nocturno tempore lembô, quem Fridericus conſtituerat, conſcensô, ſecundô Rhenô Schaffhuſium, quæ Civitas ad Ducem pertinebat, & quatuor leucis Conſtantia diſtabat, intra paucas horas defluxit. Novitas adeò improviſa, attonitum reddidit univerſum Concilium: Sed quod brevì ſeſe recollegit; allatâ eo ipso die ſchedâ, propria manu Pontificis exaratâ, in qua aſſerebat, ſe non abijſſe Schaffhuſium cum intentione non implendi promiſſam Pontificatûs renuntiationem pro pace Eccleſiæ; imò potiùs ut in plena conſtitutus libertate atque ſecuritate, prout favente DEO ibi erat, hunc actum magis liberè poſſet exequi, nè alioqui diceretur, coactè factum eſſe. Mirificè id placuit Prælatis omnibus, qui poſtquàm præſente Imperatore proteſtati fuiſſent, ſemper ſe parituros Joanni, quamdiu in hac generoſa perſeveraret reſolutione, deputârunt ad illum de ſacro Collegio, Cardinales, Urſinum, Sancti Marci, & Saluciarum, pro clariore ipſius intentione cognoſcenda, & reſponſo de procuratione danda, pro qua toties inſtanter rogabatur.

Die Mercur. 20. Mart.

Die Jo. 21. Mar Act. M. S. Vatic. apud Rayn. Appen. ad Con. Conſt.

Imperator, huic reſolutioni non reſtitit, & ad firmandos animos eorum, qui ex hac fuga Pontificis, adhuc diſſolutionem Concilij metuebant,

Act. Victor. Naucler.

Annus 1415.

bant, cùm permulti ad illum secessissent, palàm protestatus est, quòd protegere nunquam desinet Concilium, sed usque ad mortem pacem Ecclesiæ se procuraturum; vias etiam inventurum, ut hæc fuga tam sanctæ intentioni non obsistat. Et sanè quemadmodùm tanquam Imperator magnificè loquebatur pro animandis Concilij Patribus; ità fortiter, quæ promiserat, exequebatur. Nam die altero congregatis Principibus Imperij, & alijs Constantiæ degentibus, Ducem Fridericum tanquam authorem fugæ accusavit, eúmque ad suum Tribunal citavit, intra certum tempus compariturum: qui cùm non obtemperâsset, Eum proscriptioni seu baño Imperij subjecit, plerasque Civitates & terras, quas circa Constantiam possidebat, intercepit; quo eodem tempore Helveti, fractô armistitiô cum Duce, præter alia, quæ Domui Austriacæ jam eripuerant, totam Argaviam, & residua omnia occupârunt.

Naucler. Gen. 48. Felic. Fab. Hist. Sever. L. 1. c. 19.

Eodem die, quo Imperator Fridericum Austriæ citavit, Legati Gallicæ cum Deputatis Universitatis Parisiensis, & præcipuis Nationis Galliæ membris congregati, post deliberationem de rebus in statu illo agendis; Archi-Episcopum Rhemensem ad Pontificem deputârunt, pro petenda procuratione: cúmque demonstrari vellent Patribus, quòd authoritate sua & potestate in tanto negotio, pro pace Ecclesiæ utendum esset; demandatum est Joanni Gerson Cancellario, ut in Conventu quatuor Nationum, die sequente, de authoritate ac potestate Concilij in præsentibus circumstantijs, sermonem faceret, quem Sabathô ante Dominicam Ramorum pronuntiavit, & per duodecim propositiones, probare conabatur apertè, quòd Concilium Generale, Ecclesiam universalem repræsentans, potestatem habeat ùt ille quidem haud verè opinabatur, supra Pontificem, non solùm in dubio de vero Pontifice, verùm etiam, quando certum est de legitimè electo, qualis indubitatè habebatur in Concilio Joannes XXIII. Addebátque Pontificem teneri ad acceptandam viam cessionis, quando illam, Concilium necessariam censet ad schisma exstinguendum. Ecce occasionem famosæ quæstionis, quæ in veteri Ecclesia nunquam agitata fuit, nempe an Concilium sit supra Pontificem, an Pontifex supra Concilium? Desuper multæ ac ferventes ortæ sunt disceptationes, tam Constantiæ quàm Schaffhusij, maximè post sessionem tertiam, quæ die Lunæ vigesimo quinto Martij inchoata, & sequenti die fuit continuata.

Annus 1415.

Act. Concil. Append. ad Concil. Mon. Dionys. L. 34. c. 21. Act. Victor. Gobelin. in Cosmod.

Dum animi plerorumque adhuc incerti essent, de eventu ex fuga Pontificis, mentémque suam aperire non auderent; duo duntaxat in hac sessione aderant Cardinales Petrus de Ailly, & Franciscus Zabarella Cardinalis Florentinus, circiter quinquaginta Archi-Episcopi & Episcopi, & vigintiquinque Abbates Mitrati; alijs Prælatis vario prætextu absentibus: aderat nihilominùs ingens Doctorum numerus ex Universitatibus, Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Angliæ atque Poloniæ, præsente cum Legatis Coronarum, & Principibus Imperij, Sigismundô, uti in alijs sessionibus, Dalmatica sub Imperiali Paludamento induto cum Corona in capite, quatuor ab utroque latere Principibus, qui sceptrum, Globum aureum, Ensem, & Coronam, dum eam deponebat, portabant; duobus Ei Cardinalibus, uno à dextris, altero à sinistris assistentibus. Sed quia nonnisi duo in hac sessione comparuerunt, quorum unus præsidebat, unus tantùm hoc die, Cardinalis nempe Florentinus ei adstitit, qui post Missam de Annunciatione Beatissimæ Virginis à Cardinali Præsidente celebratam, alta voce legit articulos & Decreta, in Congregationibus Nationum conclusa; nimirùm: quòd Concilium canonicè convocatum fuerit, & hactenùs celebratum Constantiæ: illud nullatenùs dissolutum esse recessu Pontificis, aut Prælato-

Act. Victor. Append. ad Concil.

Act Bibl. Reg. apud Spond.

Act. Concil. Const.

Annus 1415.

latorum, qui Eum secuti sunt: quòd totam suam retineat authoritatem, sempérque retinebit, quousque reddita non fuerit plena & integra pax Ecclesiæ, & reformata non fuerit in suo capite membrísque: quòd nemini aliò migrare liceat sinè scitu & consensu Concilij; neque sinè rationabili causâ à judicio Concilij abesse: quæ omnia unanimi consensu approbata fuerunt, & in actum authenticum reducta.

Append. ad Concil. Const. Act. M. S. Bibl. Vatic. apud Raynal.

Altero die continuatæ sessionis, duo Cardinales protestabantur, quòd tametsi judicaverint, contra opinionem quorundam suorum Confratrum, se posse in hac sessione assistere, priusquàm examinaretur Pontificis responsum, à Deputatis afferendum; se tamen jam in eorum sententia esse, qui primò dicebant, quòd si Pontifex in sua resolutione verbis & scriptis facta persistat, Ei obedientia tanquam vero summo Pontifici, etiam à Concilio sit exhibenda; cùm credi possit fore, ut etiam Pontifex acta hujus sessionis confirmet. Hæc rursus approbata fuêre ab omnibus Patribus & Imperatore. Postmodum Cardinalis Pisanus Schaffhusiô rediјt cum responso Pontificis de Procuratione, quæ Deputatis Nationum examinanda fuit commissa, quod eodem die post meridiem fecerunt. Sed reperta est, nec satis clara, nec satis sincera. Renuntiationem enim fieri volebat his conditionibus: ut Imperator, & Concilium ei sufficientem præstent securitatem, quòd semper & ubique locorum gaudere possit plena libertate: ut pari cum libertate omnes Cardinales, omnes Prælati, & Officiales Romanæ Curiæ commorari valeant, sic tamen, ut semper aliqui Cardinales, tanquam Vicarij penes Concilium maneant, & ibi suo nomine præsideant; Imperator autem, nihil intereà contra Fridericum Ducem Austriæ moveat. Credebantur, hæc omnia in longam totius negotij protelationem, & lentam Concilij tendere dissolutionem: quibus proinde satisfactum non erat Concilio; & multò minùs die sequenti, quò sex Cardinales Schaffhusiô reversi, in pleno Cœtu Imperatore præsente, admodùm prolixè loqui cœperunt contra ipsum Concilium, scilicet, quòd dissolutum esset propter absentiam & recessum Joannis XXIII. veri ac legitimi Pontificis, qui cùm supra Concilium esset, istud sinè ipso nulla gauderet authoritate.

Niem. in Vit. Joan.

Hæc propositio, quæ totum Concilij subvertebat fundamentum, veluti classicum & declaratio erat belli inter Pontificem atque Concilium. Tum enim verò universalis factus est motus universi Cœtus; alacriter per plures de ipso Concilio responsum fuit, scilicet, quòd non Papa suprà Concilium, sed sub Concilio esset, factáque illic est magna ex utraque parte contentio; quæ tandem locum præbuit Decreto in sessione quarta condito, Sabbatho sequenti, in Vigilia Paschatis trigesimô Martij; quæ sessio longè celebrior fuit præcedente: nam plerique illi, qui ad Pontificem abierant, videntes causam ejus periclitari, Conciliúmque fortiùs operari, & quòd Exercitus Imperatoris contra Ducem Fridericum procederet, revertebantur Constantiam, nè suis alioqui spoliarentur dignitatibus: ità ut cum Imperatore, Legatis Coronarum & Principibus Imperij in hac sessione comparuerint undecim Cardinales, & ducenti Episcopi. Ubi præmissis consuetis ante sessiones cæremonijs, Cardinalis Florentinus, legit Decretum Concilij, in quo dicebatur: primò, quòd hæc sancta Synodus legitimè in Spiritu Sancto congregata, repræsentans universam Ecclesiam Catholicam militantem, acceperit immediatè à JESU Christo potestatem, cui unusquisque cujuscunque conditionis vel dignitatis sit, etiam Papalis, obedire teneatur, in omnibus, quæ ad fidem pertinent, & extirpationem præsentis schismatis, & ad reformationem generalem Ecclesiæ DEI, in capite & membris. Hôc prin-

Annus 1415.

Anton. loc. cit.

Naucler. Gen. 48. Mon. Dionys. L. 34. c. 22. Append. ad Concil. Const. Act. Concil. Const. sess. 4.

Annus 1415. principiô prajacto, declarabat, quòd Sanctissimus Pater & Dominus Joannes XXIII. nequeat Constantiâ recedere sine prævia deliberatione, & consensu Concilij, neque Prælati, Officiales vel Ministri Curiæ Romanæ, quorum absentiâ Concilium verosimiliter dissolveretur, vel saltem multùm debilitaretur: quòd quidquid ille contra illos, aut alios Prælatos & Ecclesiasticos egerit, ad eos Constantiâ censuris avocando, omnia nulla & irrita sint futura; quòd intereà temporis nullos creare possit Cardinales, nec alios pro veris Cardinalibus agnoscendos esse, præter illos, qui pro talibus agnoscebantur, dum Pontifex Constantiâ secedebat.

Hoc est fundamentum magnæ istius Controversiæ, quæ post Concilium Constantiense magno cum fervore agitari cœpit à celebribus Doctoribus, majori cum strepitu, uti verè dici potest, quàm fructu, in Ecclesia: videlicet: an Concilium Generale legitimè congregatum, si Pontifex, qui sine omni dubitatione caput ejus est, in eo per se ipsum præsideat, sive per suos Legatos; sive neutro modô præsideat, quamvis illud
381. congregari approbet, prout in Concilio Oecumenico secundo, centum quinquaginta Episcoporum, factum est; an, inquam, hujusmodi Con-
553. cilium in suis membris simul unitis consideratum, sit supra Pontificem; ità ut Decretis & definitionibus ejus submittere se teneatur, licèt in eas neque consentiat, neque illas approbet? Et hæc intelliguntur de vero Pontifice, agnito pro tali; qualis fuit Joannes XXIII. in Concilio Constantiensi. Nam de Pontificibus, de quibus rationabiliter dubitari potest, omnes conveniunt, Concilium super illos supremam habere potestatem, usque ad eorum depositionem, prout Concilium Pisanum fecit. Ut proinde nullatenus dicere sufficiat, prout nonnulli faciunt, quòd hoc Decretum Concilij intelligendum sit pro tempore schismatis, ubi dubitatur, uter duorum concur-

Turrecrem. l. 2. de Ecclesf. c. 99. Bellar. l. 2. de

rentium sit verus Pontifex. Evidens enim est, ut vidimus, quòd Concilium Constantiense pro indubitato habuerit Joannem XXIII. contra quem hoc Decretum fecit, ut ille unicus & legitimus fuerit Pontifex Romanus. Hôc stabilitô, cùm hic non Theologi munere sed Historici fungamur; ideò cursum Historicum prosequimur.

Annus 1415. Auth. Concil. Campeg. Sander. & ali.

Dum hoc Decretum in lucem prodiret Constantiæ, paulò pòst allatum est nuntium, Pontificem non amplius morari Schaffhusij. Cùm enim vidisset, à copijs Imperatoris, omnes Civitates & Arces Ducis Friderici eripi, præcipitanter inde, ipso die Sancto Veneris, aurâ iniquissimâ excessit, & Lauffenburgum, Civitatem inter Schaffhusium & Basileam Rheno adsitam se contulit; & inde pòst paucos dies, crescente metu, iterum transvestitus uti Constantiæ, cum tribus viæ Comitibus, fugam prosecutus est Friburgum; ubi postquàm nonnihil respirasset, Brisacum se recepit, copias nonnullas à Duce Burgundiæ promissas, expectaturus, & ab illis, è Germania Avenionem deducendus. Intereà tam Pontifex quàm Concilium, suas ad omnes Principes & Fideles, scribebant, & suas mittebant Apologias; Concilium tamen contra Pontificem fortiùs quotidie procedere non desinebat, ut eum ad exequenda promissa DEO & Ecclesiæ facta compelleret. Nam in sessione quinta, die sexto Aprilis celebrata, Concilium confirmavit Decretum Sessionis præcedentis, & declaravit, quòd tam Pontifex quàm Prælati omnes Constantiæ in plena eousque fuerint libertate; definivitque, Pontificem obligatum esse ad renunciationem Pontificatûs, non solùm in casu expresso in ejus promissione, verùm etiam in quocunque alio, ubi ejus renuntiatio magnam & evidentem pro unione Ecclesiæ DEI afferret utilitatem: & quòd in tali casu teneatur se submittere judicio & dispositioni Concilij: & si requisitus id præstare, in tempore præscri-

Lit. Encycl. Joann. XXIII. Lit. Encycl. Concil. Const. Niem. Vit. Joann. Ep. Joann. & Concil. in Cod. M. S. ap. Raynal. & Spond. Act. Concil. Const. Act. Concil. Const. Mon. Dionys.

Annus 1415.

ſcribendo, renueret, vel differret; quòd eô ipsô cenſendus ſit Pontificatu privatus; & contra illum, tanquam ſchiſmaticum, & ſuſpectum de Hæreſi procedetur: quòd ſi reverti Conſtantiam, & obtemperare voluerit, omnem deſiderabilem ſit habiturus ſecuritatem ante & poſt ſuam renuntiationem, cum aſſecuratione de liberali, pro ſuo ſtatu, proviſione, ſubſiſtentia ſuæ perſonæ, domúſque, judiciô quatuor Arbitrorum ab ipſo eligendorum, & quatuor aliorum, à Concilio nominandorum.

Act. Concil. Const. Mon. Dionys. l. 35. c. 12.

In ſeſſione ſequenti, poſt lectam & approbatam Formulam renuntiationis, nominati fuerunt Legati ex quatuor Nationibus pro illa ad Joannem deferenda; quibus etiam demandatum eſt, ut ei, quæ in ſeſſione præcedente, decreta fuerunt, exhiberent, urgeréntque ut Procuratores pro renuntiatione facienda nominaret, & Conſtantiam reverteretur; vel certè Ravenburgum, vel Ulmam, aut Baſileam; quæ non multùm Conſtantiâ diſtant, ſe conferret, nec inde abſque conſenſu Concilij recederet, uſque ad plenam omnium, quæ ab eo exiguntur, exhibitionem. Præterea ut per Bullas expreſſas, in hæc omnia conſentiat. Legati Briſacum venientes, ubi adhuc morabatur Pontifex, alloquium die Mercurij vigeſimo quarto Aprilis habuerunt; pro reſponſo die ſequenti redire juſſi: dúmque pro illo accipiendo ſe pararent, Pontifex non ampliùs erat Briſaci, qui ſive propoſitionibus allatis offenſus, ſive metuens, nè à copijs Imperatoris obrueretur, qui jam de Tractatu inter Pontificem & Ducem Burgundiæ admonitus erat; ante diem Briſacô diſceſſit, & Neoburgum ſe recepit; indéque Legatis ſignificari curavit, quòd nocte præcedente, acceptâ notitiâ certâ de ſuo extremo periculo, ſuæ ſecuritati providere coactus fuerit. Negotium tamen continuabatur, licèt inutiliter.

Appen. ad Concil. Const p. 1502. t. 12. Conc. Edit. Paris. Act. M. S. Victor apud Spond. Niem. Vit. Joann. Act. Victor.

Legati enim dum Conſtantiam reverterentur per Friburgum, Ducem Bavariæ Ludovicum, primum Legatum Galliæ ibi repererunt; qui pro parte Concilij cum Friderico Auſtriaco tractabat. Hi duo Principes rogabant Legatos, ut tantiſper ſubſiſterent, Pontificem eô die certô adfuturum aſſerentes. Et profectò ad preces Friderici, quem magnum ſuum eſſe credebat amicum, comparuit. Legati autem poſt triduanam conferentiam, obtinere aliud non valebant, niſi aliam Procurationis formulam, terminis adeò ambiguis conceptam, & conditionibus exceſſivis, ac exhortationibus refertam, ut Concilium exiſtimaverit, illum nonniſi lucrum temporis inanibus protelationibus quærere, uſquedum à Duce Burgundiæ copias auxiliares obtineret, & Avenionem ex Germania migraret. Cùm igitur, prout jam concluſum erat, contra illum conſtanter procederetur, die ſecundo Maji in ſeſſione ſeptima citatus eſt ad comparendum coram Concilio intrà dies novem, ad reſpondendum de fuga, & alijs, quæ illi objiciebantur. Rogatúſque fuit Sigiſmundus, ut ſuas tabulas ſecuritatis, tabulis Concilij adjungeret, ad tollendam omnem Pontifici excuſationem. Sed opus illis non habuit deplorandus hic Pontifex. Nam Fridericus, cui ſe totum concredidit, non alio fine illum advocaverat Friburgum, quàm ut eô interceptô, cauſam ſuam in detrimentum Pontificis componeret cum Imperatore, quadraginta millibus armatorum proviſo: atque ità Pontifex captivus in Arce Friburgenſi, ſub poteſtate Imperatoris manſit, & ubi Aſylum quæſivit, carcerem invênit.

Annus 1415. Niem. in Joann. Niem. Vit. Joan. Act. Conc. Const. Act. M. S Vatic. apud Raynal. Act. M. S. Victor. Antonin. p. 3. t. 22. c. 6. §. 3.

Pontifex nihilominus, tametsi vehementer conſternatus, initiô magna cum fortitudine atque conſtantia, ſortem hanc arduam ſuſcepit, vultúque ſereno, abſque commotione animi excepit Archi-Epiſcopos Veſuntinum & Rugienſem, qui ad intimandam ei citationem, ad comparendum in Concilio die duodeci-

Annus 1415. decimo vel decimo tertio Maji ad illum missi fuerant: quibus respondit, sibi nihil displicere magis, quàm quòd Concilium deseruerit, perniciosa quorundam secutus consilia; séque paratum esse Constantiam reverti. Sed aliquantùm attonitus mansit, videns Principem Fridericum Burgravium Norimbergensem, ab Imperatore missum cum trecentis Viris armatis venire, ed eum custodiendum aliâ, quàm soleant Pontifices ratione custodiri; magisque percellebatur, dum ab illo, non Constantiam, sed Cellam arcem fortem duabus leucis Constantiâ distantem, deduceretur: ubi omnes ejus domestici, coquô exceptô, mutati fuêre; & quòd Episcopus Telonensis, qui ei relictus est cum duabus ex qualibet quatuor Nationum personis, qui ejus invigilarent actionibus, eúmque consolarentur, Annulum Piscatoris nomine Concilij exigeret. Tum enim verò perditum se credidit, & cum profundo suspirio mœrorem suum testabatur atque dolorem, sive de suo regimine præterito, sive de malo præsente, sive de utroque.

Act. Concil. Const. Quidquid fuerit; in sessionibus sequentibus contra eum omni juris ordine servato, qui in depositione Gregorij & Benedicti observatus est, procedebatur. Primò suspensus est ab Exercitio Pontificatûs propter suam secessionem & fugam scandalosam atque schismaticam, & propter alia crimina, quæ notoria & publica dicebantur; & post acceptas depositiones testium de omnibus illis criminibus, de quibus accusabatur, syllabum eorum cum nominibus testium, duo Cardinales Cellam ad illum deportârunt; Syllabus ille quinquaginta quatuor continebat articulos, cum expressis criminibus, quæ ferme omnia ad quinque vel sex reducuntur; nempe ad Simoniam, omnis speciei, Juris Divini & Ecclesiastici, Dissipationem Bonorum Ecclesiæ, Regimen Tyrannicum in Legatione Bononiensi, oppressionem populi in Pontificatu, gabellis & exactionibus intolerabilibus, & injustitijs; Fugam ex Concilio; denique ad vitam planè scandalosam, & dissolutam, ejúsque incorrigibilitatem, post innumeras admonitiones, enumeratis à prima ejus adolescentia omnibus, usque ad secessionem à Concilio, nihil ei parcendo vel omittendo. In primo enim articulo dicitur, quòd in juventute improbæ fuerit indolis, mendax, impudens, vitijs omnibus deditus, & Parentibus inobediens. In quinto, quòd in Pontificatu Divina Officia neglexerit, nullius fuerit devotionis, non jejunia, non abstinentias servaverit, Breviarium suum omiserit, Missam raro celebraverit, & si aliquoties celebravit hoc fecit festinanter & more venatorũ vel armigerorũ. In trigesimo tertio, quòd stipendia nõ solverit Professoribus Universitatis, præsertim Bononiensis, quæ idcirco totali ruinæ proxima erat. Annus 1415.

(marginal note beside "deportârunt": Act. Vi- ctor.)

Quamvis credi posset, quòd hic Pontifex, cùm à Concilio Generali damnatus fuerit, vitam suo charactere parum dignam duxerit, fuerítque instar Pharisæorum, qui sedentes in Cathedra Moysis, quæ facienda erant, dicebant, & quæ nec dicenda erant, faciebant: Post omnia tamen, cùm Historicus venerari semper debeat veritatem, nec ullibi eam supprimere, præsertim ubi de causa personæ miserabilis agitur, dicere oportet, quòd hic Pontifex Joannes XXIII. quantumcunque criminosus esse potuerit, magnum tamen bonitatis in anima fundum habuerit, & in his circumstantijs actum exercuerit adeò Christianum & heroicum, sanctóque dignum pœnitente, ut si etiam graviora præter objecta, commisisset, & licèt etiam ter JESUM Christum, uti Sanctus Petrus negâsset, abolere illorum deberet memoriam, eúmque posteà immortali gloria coronare. Quando Cardinales ei catalogum illum delictorum obtulerunt, tam voce quàm scriptò placidè, & cum profunda humilitate respondit, quòd se dispositionibus Concilij penitus submittat, paratum

esse,

Annus 1415. eſſe, quandocunque ſancto illi Cœtui placebit, ſe Pontificatu exuere ſive Conſtantiæ, ſive alibi; ſolùm quòd ſupplicet Concilio per viſcera miſericordiæ Domini noſtri, ut in hoc judicio rationem aliquam habeat, ſui honoris, perſonæ atque conditionis, citra præjudicium tamen pacis, & unionis Eccleſiæ.

Ampliùs fecit. Cùm enim catalogum criminum, quæ ſufficienter probata cenſebantur, in Concilio priùs lectum, Commiſſarij ad eum pro ſecunda & tertia vice deportâſſent, illum ſemper ſumma cum veneratione, tanquam verum Pontificem proſequentes, pro toto reſponſo illis placidiſſimè omnia deduxit, quæ pro pace Eccleſiæ operatus eſt; & in Concilio Piſano, cujus primarius Author fuit, ſuis ſtudijs & induſtriâ, duo Cardinalium Collegia reuniendo; & in Conſtantienſi, in quo ſe ad ceſſionem obſtrinxit; quam ſe facturum fuiſſe conſtanter proteſtabatur, dummodo in plena fuiſſet libertate, ut ità magis authentica evaderet actio. Tum omnia denuò confirmavit, à ſe Cardinalibus dicta; addebàtque, ſe nolle videre ſive gravamina, ſive depoſitiones teſtium, ſed cum omni veneratione recepturum ſententiam, in Concilio ferendam, neque aliam cupere defenſionem aut protectionem in hoc judicio, quàm ipſius Concilij, cujus Benignitati recommendari petebat.

In eundem fere modum ſcripſit ad Imperatorem Sigiſmundum literas adeò moventes, ut legi nequeant abſque magna cordis utcunque duri teneritudine. Repræſentat enim illi terminis affectuoſiſſimis, & veneratione plenis, quanto cum zelo apud Electores laboraverit, pro ejus ad Coronam Imperialem electione; & quanta cum affectione omnia quæ deſiderabat, præſtiterit, maximè quoad Concilium, ſive de tempore, ſive de loco, qui ſibi ſuſpectus eſſe poterat, determinando; ubi tamen ipſe priùs quàm ille comparuit, cum plena & integra fiducia, quam in illius, reponebat amicitia; ſe denique ad ceſſionem obſtrinxerit, ad quam ſemper deinde erat proniſſimus. Addebat poſtea, quòd ambigere nolit, quin tot & tanta veræ amicitiæ teſtimonia, viciſſim amicitiæ reciprocæ ex parte Imperatoris provocent effectus; ſe proinde ad illum tanquam unicum ſuum refugium, & ſuæ ſpei fulcrum poſt DEUM recurrere, per viſcera miſericordiæ JESU Chriſti, illum obteſtando, ut ejus imitetur Clementiam, & compatiatur homini, tametſi in ſtatum tam miſerabilem reducto, qui nihilominus Pater & Paſtor illius eſt; ſuámque in Concilio interponat Fidem atque authoritatem, ut perſonæ ſuæ, ſalva tamen ſemper unione Eccleſiæ, ratio habeatur; ut nimirum honore ſalvo, & ſuæ conditioni conſulatur, & Pontificatûs renuntiatio ſufficiat. Annus 1415.

His omnibus precibus, & optima Pontificis diſpoſitione, nihil proficientibus, die vigeſimo nono Maji, ſeſſione duodecimâ lecta eſt in præſentia Imperatoris, Principum, & Legatorum ſententia definitiva Concilij, vi cujus ex Pontificatu, propter crimina recenſita deponebatur, & cuſtodiæ Imperatoris committebatur, ut in carcere, per tempus à Concilio determinandum, detineretur, pro bono & unione Eccleſiæ, reſervatis intereà pœnis, tempore ſuo, illi à Concilio dictandis. Declarabatur poſtea, ſinè conſenſu Concilij procedi non poſſe ad electionem novi Pontificis, neque eligi poſſe, Balthaſarum Coſſa, antehac Pontificem Joannem XXIII. neque Angelum Corarium, neque Petrum de Luna dictos in ſuis obedientijs Gregorium XII. & Benedictum XIII. Sic enim Concilium iſtud Joannem, ſimpliciter Pontificem appellando diſtinguit ab alijs duobus, quos pro talibus haberi dicit in ſuis obedientijs, & veri Antipapæ poſt ſententiam Piſani Concilij, quod eo tempore Conſtantiæ continuabatur.

Cùm poſt biduum Cellam hæc ſententia Joanni allata fuiſſet, & ipſe inter-

Annus 1415. interrogaretur, an quidpiam illi opponendum haberet; majorem adhuc fortitudinem animi & virtutem, quàm anteà, ostendit. Postquàm enim illam tacitè legisset, absque omni commotionis indicio, rogabat, sibi eam concedi cum otio perpendendam. Recedentibus Deputatis, duabus horis illam consideravit; tum revocatis, cum incredibili animi præsentia dixit; se illam cunctósque articulos probè perpendisse, eámque clara & intelligibili voce denuò perlegit, approbavit, & ratam habuit ex certa scientia, quantum ejus conditio præsens permittebat. Tum pectori admotâ manu juravit, se nunquam contra hanc sententiam reclamaturum, neque ad eam declinandam, vel ad Pontificatum recuperandum quidpiam acturum; imò se pro majori securitate simpliciter, purè, spontaneè, & corde toto renuntiare omnibus juribus, quæ possedit, aut possidere posset: in quorum omnium signum, Crucem Pontificalem è suo Conclavi auferri jussit; quòd si habitus Pontificalis mutandus est, quem adhuc portabat; se illum præsentibus Deputatis depositurum. Quòd ex toto corde cuperet, se nunquam fuisse Pontificem, qui à sua exaltatione nullum diem serenum habuerit; multò minùs adhuc semel fieri desideret; asseverabat, quòd si denuò eligeretur, nunquam in electionem esset consensurus: Cæterùm protestabatur, quòd si post hæc omnia, quæ fecit, adhuc impeteretur, & contra se ad pœnas rigidiores procederetur, tum se aliter quàm hactenùs defensurum, & coram ipso Concilio judicialiter responsurum, quod pro Judice acceptavit, ejúsque atque Imperatoris protectionem imploravit. De hoc toto suo responso actum authenticum fieri curavit per Protonotarios Apostolicos præsentes, pro bono pacis & unionis sanctæ Ecclesiæ.

Hac ratione, sinè omni dubio, tanquam Vir probus, sapiens & magnanimus egit; non tamen ideò suspendebatur sententiæ executio. Imperator enim custodiam illius Ludovico Palatino Comiti Rheni commisit, à quo captivus ductus est primò Heidelbergam, subinde Manheimium, ubi ferme trienniô arctissimè tenebatur clausus omni destitutus consolatione: ablati námque illi fuerunt omnes domestici & servientes Itali, solis Germanis illi ad custodiam & servitium relictis, cum quibus, cùm nec illos intelligeret loquentes, nec ab illis intelligeretur, solis nutibus & signis agere cogebatur. Propterea non deerant, qui contra Imperatorem Sigismundum, ejúsque rigorem conquerebantur, quòd mitiùs in hac occasione procedere potuisset. Tandem enim, aiebant illi, magnum se amicum hujus Pontificis profitebatur; cui suum Imperium debebat. Ideóque, dummodo securam reddidisset viâ cessionis pacem Ecclesiæ, quæ scopus erat propositus, evidens videbatur, quòd amicitia & gratitudo eum obligabat ad præstanda illa omnia, quæ poterat atque etiam debebat pro suo amico & benefactore, ad interponenda officia sua apud Patres Concilij, ut cum renunciatione, quam Joannes in forma, qualis exigebatur, offerebat, & reipsâ fecit; sinè processu judiciali depositionis infamis, contentarentur. Et sanè, addebant ijdem illi; hæc judicialis depositio, nullatenùs necessaria erat ad schisma exstinguendum, cùm sola cessio fuerit sufficiens, imò ad hunc finem longè fortior & efficacior: atque ità Imperator præstitis omnibus, quæ ad pacem Ecclesiæ postulabantur, satisfecisset tanquam Vir honestus debito amicitiæ, Benefactori suo paria reddidisset, honorem Pontificis & Sedis Apostolicæ salvâsset, & exemplum omnibus Pontificibus præjudiciosum præpedivisset; in quo mundus vidit, quòd Concilium Generale ultra limites suæ potestatis Processum instituerit uni Pontifici, quem pro summè legitimo agnoscebat, eúmque propter alia quàm hæreseos crimina depo- Annus 1415. *Platin. Naucler gen 48. Onuphr. Ciacon.*

Annus 1415. deposuerit: id quod permultis Doctoribus non solùm displicuit, verum etiam ab ijs jure merito improbatum fuit; qui hodiedum asserunt, quòd in solo casu Hæresis Concilium hac potestate gaudeat, extra quem, prima sedes à nemine judicatur.

Mon. Dionys. L. 35. c. 18. Hæc fuerunt sensa saniora eorum, qui rationem agendi Sigismundi, in hac damnatione Pontificis magnopere vituperârunt. Sic etiam, quando Concilium, quod de hac condemnatione omnes Reges reddere certiores volebat, in Galliam suos misit Legatos, isti malè ibidem accepti fuerunt; & in pleno Consilio, præsente Rege, responsum acceperunt, minimè probari condemnationem Pontificis pro legitimo agniti, contra quam sola cessio sufficere debebat. Eadem occasione, & eandem ob causam severè admodùm reprehensa, atque etiam repressa fuit Universitas Parisiensis, quæ multum ad condemnationem veri ac legitimi Pontificis Joannis XXIII. contulit. Porrò quàm rectè in Consilio Regis Galliæ improbata fuerit sententia ista depositionis Joannis XXIII. & opinio Universitatis Parisiensis; quæ profectò multum ad illam contribuerat; opportunè hìc Lectori nostro, antiquæ in simili casu Ecclesiæ sensa referemus de Papa Symmacho, qui de horrendis, æquè ac Joannes XXIII. accusabatur criminibus, est enim hæc una ex pulcherrimis, atque dignissimis Historiæ Ecclesiasticæ notitia; cujus etiam Patres Concilij Constantiensis in suis literis encyclicis meminerunt, & exemplum illud in suum, sed perperam, adhibuêre patrocinium. Juvat proinde videre, quidnam in veritate ex illo exemplo contra Constantienses Patres sit concludendum.

Act. Victor. ap. Spond. ad hunc ann. n. 12. Cerret. Diar. ap. Bzov.

498. Theodor. lect. l. 2. Collect. Niceph. l. 6. c. 36. Defuncto Anastasio I. Pontifice, grande schisma in Ecclesia ortum est, improbitate maxima cujusdam Festi, qui ex primarijs erat Senatoribus Romanis, & Consulatûs dignitate perfunctus. Hunc Anastasius Pontifex cum duobus Episcopis miserat Constantinopolim, ut ad obedientiam Ecclesiæ Imperatorem Anastasium hæreticum Eutychianum reduceret. Verùm adeò parùm ex parte sua contulit ad conversionem hujus Principis, ut ipse potiùs perverti se admiserit, itàque corrumpi, ut illi spoponderit effecturum se apud Pontificem, ut formula unionis, quam Zeno Imperator concinnaverat, cum intentione impia & inepta, Hæreticos & Catholicos inter se conciliandi approbaretur. Quasi verò in concordiam sociari possent JESUS Christus & Belial, vel error cum veritate! Cum hoc proposito Festus Romam rediјt, eo tempore, quo Pontifex Anastasius ex hac vita decessit, jámque de successore providendo erat solicitudo. Ut igitur Pontificem sibi devinctum, atque obnoxium haberet, & promissionem Imperatori factam impleret; ità occultis Romæ agebat molitionibus, partem Cleri pecunijs corrumpendo, ut eodem die, quô in Ecclesia Sancti Joannis Lateranensis electus est Symmachus Ecclesiæ Romanæ Diaconus, Festus eligi curaverit in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris Laurentium Archi-Presbyterum Sanctæ Praxedis. Desuper Senatus, Populus & Clerus dividebantur, & furiosa Romæ orta perturbatione ad manus conserendas, cum non modica sanguinis profusione deventum fuit. Cúmque malo crescente, nulla spes controversiam vijs Canonicis Romæ terminandi, atque tranquillitatem restituendi affulgeret, facta conventione, hoc partes adversæ consilium inivêrunt: ut nempe ambo electi ad judicium Regis Theodorici Ravennam pergerent, ubi omnino etiam duo isti, ex deplorabili eorum divisionis sequela, ad causam suam probandam, in Tribunali Regis Arriani comparere debebant. Anastas. in Symmach.

Hic Princeps, licèt Arrianus, qui magnum possidebat animum, mentémque admodùm rectam, æquissimum hac occasione tulit Judicium. Nam examinatô exactè negotiô, decla-

Annus 1415. claravit; quòd cùm Symachus, primus, & à majore Cleri parte, ùt asserebatur, electus fuerit, ipse pro vero habendus sit Pontifice, alter autem pro Intruso. Primò quidem submiserunt se omnes nihil replicando; ubi nemo resistere audebat judicio unius Principis, qui absolutus in suo Regno Italiæ erat Dominus. Atque ità Symmachus solus mansit Pontifex, & Romæ Concilium celebravit, ubi pro tali agnitus est ab omnibus, etiam ab ipso Laurentio, 499. quem Episcopum Noceræ, pro aliqua ejus consolatione, creavit.

Concil. Rom. 1. sub Sym. t. 4. Concil. Edit. Paris. Anast. in Symm. Videbatur hac ratione schisma exstinctum esse, tum propter declarationem Theodorici, cui omnes acquieverunt; tum propter judicium totius Concilij, ubi Symmachus, qui in eo præsidebat, à partibus adversis, absque contradictione pro vero Pontifice agnitus fuit. *Ibid.* Sed duo Senatores Festus & Probinus, qui se Duces constituerunt schismaticorum, schisma cum enormi militia resuscitârunt. Cùm enim viderent, quòd post sententiam Regis Theodorici non possent ampliùs legitimam Symmachi electionem in controversiam vocare, depositionem illius meditari cœperunt, eúmque de multis gravibus accusabant criminibus, quorum Catalogum & probationes, cum depositionibus plurimorum falsorum testium, quos subornârunt, signatis, ad Theodoricum miserunt. *Act. Syn. Rom. sub Sym. t. 4. Concil. Edit. Paris.* Hic autem notanda est res magnæ profectò considerationis; nimirum, quòd in Actis Conciliorum, quæ Romæ pro causa Symmachi celebrata fuerunt, nè unum quidem verbum reperiatur de illis criminibus, in quibus accusabatur Symmachus. Qua super re Baronius prudentissimam fecit reflexionem; nempe: Episcopos illos talia celâsse, omníque studio procurâsse, nè quavis occasione labes aliqua summi totius Ecclesiæ Sacerdotis, publicis actis, posteris tradita posset aliquando reperiri, ídque ex majorum præscripto, celare studentium crimina *Baron. ad ann. 502. n. 32.* Sacerdotum; prout Origenes refert de Historia Susannæ loquens: à quo sapientissimo documento æquè ac pijssimo exemplo, quàm longè abscesserint Constantienses, ex hactenus dictis abundè liquet; dum verenda Patris sui, quæ pietas tegēda suadebat, ipsi orbi universo cum æterno suo probro, propalârunt. Annus 1415.

Putatur nihilominùs ex rationabilibus conjecturis, & ex ijs, quæ scripsit Ennodius in defensionem Symmachi Pontificis, quòd inter alias calumnias, quibus eum fœdare conabantur, illum præcipuè adulterij accusaverint; & ut succumberet, à Rege postulabant, Romam dignaretur mittere Visitatores, id est, Commissarios, ad Processum contra Pontificem instituendum, atque judicialiter pronuntiandum, si reus fuerit repertus criminum, quæ illi objiciebantur, & ut petitionem suam adeò insolitam, fulcirent, addebant; quòd, cùm Symmachus Commissarios miserit, ad causas criminales Episcoporum judicandas, justum sit, lege sua teneatur, eíque pariter ac alij subjiciatur. Quod allegabant, verum erat. Ex quo irrefragabiliter probari videtur, quòd Pontifices illis temporibus Commissarios nominaverint, ad causas criminales Episcoporum judicandas, prout clarè atque eruditè in quinque Epistolis Francisci Romani, exemplis & factis maximæ authoritatis, & omnibus sæculis ubique receptis, demonstratur. Verùm schismatici illi ex hoc vero principio falsissimam traxerunt consequentiam, quam illis exprobrat Ennodius & inquit: *Non vos in hoc titulo falsitatis incesso. Dico tamen, laterem juris, definitionis suæ, nisi velit terminis non includi, & nisi Princeps fastigij summa moderetur, frustrà ad illud, quod deerit, jus vocatur. Aliorum fortè hominum causas, DEUS voluit per homines terminare: sed sedis istius Præsules, suo, sinè quæstione, reservavit arbitrio. Voluit beati Petri successores cœlo tantùm debere innocentiam, & sublimissimi discussoris, indi-*

Vid. Baron. ib. & Sirmund. in not. 8. ad Ennod. *Ennod. in Apolog.* *Sirm. not. in Ennod.*

Annus 1415. *indagini inviolatam exhibere conscientiam.* Hæc illis dicebat Ennodius, cujus scriptum ità à Concilio approbatum fuit, ut illud suis Actis inseri mandaverit, eique authoritatem eandem cum Decretis attribuerit.

Intereà Theodoricus Rex hanc veritatem nondum edoctus, & qui gaudebat, occasionem sibi præberi suam dilatandi authoritatem, facilè in postulata Festi consensit; & Commissarium ad cognitionem hujus causæ nominavit Episcopum Altini; cui tamen injunxerat, ut magna cum veneratione tractaret Pontificem, eique suæ observantiæ in Vaticano præstet officia, priusquàm impositum sibi munus exequi aggrediatur. Sed iste, à schismaticis seductus, cuncta egit contraria, injustissimum & violentissimum faciens initium ab executione, & depositione Symmachi, omniúmque ejus bonorum spoliatione; ità quidem, ut, quasi sancta sedes vacaret, schismatici, qui Archi-Presbyterum Laurentium è suo Noceræ Episcopatu occultè advocaverant, eundem jam præsentem, denuò elegerint. Rursus itaque schisma recruduit furiosius in Clero, nam alij comunicaverunt cum Symmacho, alij cum Laurentio. Isti à Coriphæis Festo & Probino fulciebantur, quos major Senatorum ab illis corruptorum pars sequebatur: illi verò à Consulari Fausto Avieno sustinebantur; Viro æquè illustri ac virtuoso, avitæque nobilitatis, quam è sanquine Scipionum acceperat, & quorum generositatem, & sapientiam resuscitavit, atque cum zelo ardentissimo pro vera Religione sociavit. Sub tanti Viri protectione, Catholici ad Theodoricum pro remedio tantarum perturbatiorum recurrentes, facili negotio impetrârunt, ut Commissio, contra Canones data, revocaretur, permitteretque Concilium congregari ad ordinanda Ecclesiæ negotia in tanta rerum perturbatione.

Reipsa hic Princeps, qui ordinem debitum, & justitiam diligebat, motus rationum auditis, cessit rationi, & ingenuè fatebatur, non ad se, sed ad Episcopos pertinere, de Ecclesiasticis judicare negotijs. Imò, ut desiderio satisfaceret Romanorum, qui ejus præsentiam vehementer optabant, paulò post ipsemet Romam se contulit, ubi amplissimis largitionibus Senatum Populúmque cumulavit, & pro pace Ecclesiæ voluit Concilium celebrari. Cúmque illi demonstratum fuisset, Concilium hoc, ut authoritate polleat; à Pontifice convocandum esse; ipse Rex cum Symmacho tractavit, in cujus favorem, in priore schismate jam pronunciaverat; eúmque rogabat, ut per suas literas Episcopos Italiæ Romam convocaret. Postea Ravennam reversus, ipse etiam in eundem finem scripsit, mandavitque Episcopis, ut Romam se conferrent ad Concilium à Pontifice intimatum. Post tam clarum atque tam authenticum Antiquitatis testimonium, vehementer arduum videtur, velle tueri, prout faciunt Protestantes, quòd convocatio Conciliorum ad Pontifices non pertineat.

Igitur Episcopi à Pontifice convocati, Romam convenerunt numerô centum quindecim, ubi tres vel quatuor Cœtus instituerunt, quos aliqui in totidem synodos diversas distingvunt, alij verò plures duntaxat ejusdem Concilij sessiones fuisse existimant; quod hic parum refert. Primus Cœtus celebratus erat in Basilica Juliana, ubi Symmachus de sua innocentia securus, libenter comparuit, prout Theodoricus desiderabat, seque sponte ac voluntariè submisit judicio Concilij, quod ad hanc causam discutiendam instituebatur. Mox ab initio postulabat, restitui in possessionem omnium, quæ sibi per injustum Visitatoris judicium, & suorum inimicorum violentiam fuêre ablata. Et quamvis tam justis postulatis delatum non statim fuerit, voluit nihilominus in secundo adhuc Cœtu, qui in Basilica Sessoriana habebatur, quæ est Ecclesia sanctæ Crucis

Marginalia (left): *Anast. in Sym. Ennod. Apol.* — *Act. Synod Palmar. Ennod. Apol.* — *Anastas. in Sym.* — *Ennod. Ep. ad Faust. Cons.* — *Act. Concil. Palm.*

Marginalia (right): Annus 1415. — *Faust. Cons. Ennod. Apol. Praecept. Theodor. Reg. t. 4. Concil. Edit. Paris.* — *Act. Syn. Palm. Faust. Cos. Pracep. Reg. Relat. Ep. ad Reg. t. 4. Conc. Edit. Paris. Ennod. in Apol.*

Annus 1415.

cis in Jerusalem, comparere. Sed dum eò procederet cum suo Clero & magna populi multitudine, qui suis lachrymis, & suspirijs dolorem testabantur, quòd summum Pontificem in tam miserabili statu viderent, Schismatici, qui probè jam prævidebant, suas calumnias detegendas esse, armis invaserunt homines illos inermes, verberabant, vulnerabant, promiscuè omnes obvios prosternebant, Presbyteros trucidabant, qui Pontificem defendebant, túmque lapidibus persequebátur tanto cum furore, ut maxima cum difficultate, atque auxilio quorundam Regis Officialium, salvare se potuerit ad Vaticanũ.

Ibid. Ennod. Apol.

Post hæc, furiosi illi, viribus aucti, diebus aliquot, enormes Romæ exercuerunt perturbationes, ubi omni genere malorum Catholicos onerabant, usquedum homines Regis, & Faustus Avitus illius anni Consul, cum suo Collega Rufo Magno, tumultum illum sopivissent, & quietem in Urbe firmâssent. Tum Rex Theodoricus Ravennæ degens, & sequelas pessimas ex tam periculosa seditione metuens, scripsit ad Episcopos, mandavítque ut causam istam ordinatè, sive discussam, sive indiscussam, ùt vellent, quantocyùs pronuntiatâ sententiâ terminarent, dummodo ipsorum deliberatio provideat, ut pax & tranquillitas integra permaneat. Episcopi proinde tertia vice convenerunt, in illa parte Basilicæ Sancti Petri, quæ appellebatur *Palmaria*, unde ista Synodus, quæ adhuc anno sequente congregata erat sub Consulatu Avieni Junioris, semper deinceps *Palmaria* vocabatur. Ibi quatuor ferme vicibus citatus erat Papa Symmachus ad comparendum in Concilio, proùt aliàs comparuit. Sed respondebat constanter, se post ea quæ acta jam fuerant, nullatenus velle jure suo cedere, neque de suis gestis respondere coram illis, qui nulla provisi essent authoritate, absque suo consensu. Patres omnes, absque diversitate sententiarum consentiebant, Symmachum jure suo agere, & hoc ipsum Theodorico significârunt per literas, dicentes: *Nobis quid facere possimus non remansit, nec invitum ad desperationem nostram adducere possumus;* agnoscentes nullum sibi jus esse in summum Ecclesiæ Pontificem, nisi sua sponte ipse judicio se submittat: addebántque: *nova res est Pontificem sedis istius apud nos audiri; nullum constat exemplum.* Quamvis Rex Theodoricus ostenderit, quòd ex parte sua desiderâsset, causam istam Pontificis examinari judicialiter, ut cæteri in officio & ordine debito continerentur metu judicij; nihilominùs sensa sua judicio Concilij submisit, & pulchrum illud responsum dedit, quod instar oraculi servire debet omnibus Principibus, qui ab uno è maximis Regibus & Politicis, quales unquam mundus habuit, condiscant, quam partem habere debeant in negotijs purè Ecclesiasticis. *Ad hec Serenissimus Rex, DEO inspirante taliter respondit: in synodali esse arbitrio de tanto negotio sequenda præscribere; nec aliquid ad se præter reverentiam de Ecclesiasticis negotijs pertinere.* Patres igitur in plena se constitutos, videntes libertate juxta impulsum Spiritûs Sancti agendi, tandem hoc negotium Decretô factô terminârunt, & declarârunt, quòd Papa Symachus Episcopus sanctæ Sedis Apostolicæ liber sit & immunis coram hominibus; cùm certum sit omni jure à nobis perpenso & examinato, quòd cognitio hujus causæ soli DEO sit reservata: ideóque declaramus, quòd liberè exercere debeat suas Pontificatûs functiones, quin ei unquam objici possit quidpiam eorum, de quibus accusabatur.

Anast. in Sym. Act. Syn. Palm. Faust. Cos.

Præcep. Reg. t. 4. Concil. Edit. Paris. p. 1331. Act. Syn. Palmar. V. Baron. ad ann. 502. n. 2.

Annus 1415.

Episc. ad Reg. t. 4. Conc. Edit Paris. p. 1330. & 1331. Justitia renitentem non posse compelli. Act. Syn. Faust. Cos. Præcept. Reg. t. 4. Concil. Edit. Paris. p. 1332.

Act. Syn. Palm. Faust. Avien. Cos.

Eodem tempore condemnatus est existimatus Visitator, & Antipapa Laurentius, quem Theodoricus postea in exilium relegavit, & dum Concilium exhortaretur Senatum & Clerum, ut suo Decreto se submitteret, absque ulteriore disquisitione à solo DEO examinanda, Papa Symmachus suis Juribus restitutus est, una-

Anast. in Sym. Theodoretus Lector.

Annus 1415.

unanimi omnium Ordinum conſenſu, exceptis paucis ſchiſmaticis, qui contra hoc Decretum ſcripſerunt. Sed Eruditus Diaconus Ennodius, idem ille, qui poſtea Epiſcopus Ticinenſis factus eſt, ſuam ſcripſit Apologiam in defenſionem Pontificis, & Decreti adeò nervoſam, ut quintum Concilium ſub Symmacho celebratum, illam inſeri mandaverit inter quartam ſynodum, dictam *Palmariam*, & quintum Concilium, eámque eadem gaudere authoritate, ac alia ejusdem Concilij Acta. Quò effectum eſt, ut omnes, qui adhuc ſchiſmati pertinaciter adhærebant, ad obedientiam Eccleſiæ, quæ illos in gratiam recepit, reverſi fuerint.

Vid. Not. Sirmun. in Ennod. not. 19. Synod. 5. ſub. Symm. t. 4. Concil. Edit. Pariſ.

Intereà dum in Gallijs innotuiſſet perſecutio contra Symmachum, & quòd Concilium Romanum judicare illum præſumpſerit; Epiſcopi Galliæ, valde ſcandalizati fuerunt, quamvis Pontifex ille judicio illorum ſe voluntariè ſubmiſerit. Erat autem Eccleſia Gallicana tunc florentiſſima, tempore videlicet converſionis ad Fidem JESU Chriſti & Baptiſmi, Regis Clodovei. Epiſcopi majori ex parte Viri erant à doctrina & ſanctitate celeberrimi: & nihilominùs omnes communi conſenſione judicârunt, ſignificandum eſſe Romam, illum procedendi modum valde improbari, utpote contra mentem & leges Eccleſiæ, atque peſſimi exempli. Ad ſcribendum nomine omnium Epiſcoporum Galliæ electus fuit Avitus Epiſcopus Viennenſis, Vir ſingularis meriti, valde illuſtrium Natalium, & raræ doctrinæ atque facundiæ robuſtiſſimæ. Scripſit proinde cum fortitudine & ſancta libertate, literas dirigendo ad Patricios Fauſtum & Symmachum, utrumque Conſularem & magis ſpectabiles in Senatu Romano, ad quos ſcribebat, quòd crederet, Epiſcopos Concilij Româ jam ad ſuas diſceſſiſſe Diœceſes; præterquàm quòd ipſe hujus illuſtris Magiſtratus membrũ aliquando fuerit, Senator Romanus filius Patricij Iſicij, & Nepos Imperatoris Aviti. Scripſit igitur ſequentia: *Dum de cauſa Romanæ Eccleſiæ anxij nimis ac trepidi eſſemus, utpote nutare ſtatum noſtrum in laceſſito vertice ſentientes, quos omnes una criminatio percuſſerat, ſi ſtatum Principis obruiſſet. In Sacerdotibus cæteris poteſt, ſi quid fortè nutaverit, reformari; at ſi Papa Urbis vocatur in dubium, Epiſcopatus jam videbitur, non Epiſcopus vacillare. Dices forſitan, omnium talis erit conditio: Replicatio, uni dictum; Tu es Petrus; & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Et rurſum Sanctorum voce patet, Pontificum dignitatem Sedis ejus ſanctam, toto Orbe venerabilem, dum illi, quidquid fidelium eſt, ubique ſubmittitur, dum totius Orbis caput eſſe dignatur; de qua mihi videtur dictum per Prophetam: ſi hac humiliabitur, ad cujus confugietis auxilium? & ubi relinquetis gloriam veſtram?* Rationem affert Ennodius; quia videlicet fundamentum, ſuper quod in perſona Sancti Petri, JESUS Chriſtus Eccleſiam ſuam ſtabilivit, & conſequenter Epiſcopatum; penitus everteretur ruinâ ſupremæ authoritatis, quæ illi tolleretur, alij cuipiam, quàm ſuæ, illam ſubjiciendo poteſtati; quòd dignitatem ſummi Pontificis terra univerſa revereri debeat, cùm omnes omnino Fideles in Orbe toto ei ſubjiciantur, quorum ipſe caput eſt, & de quo Propheta dicere videtur, ad cujus confugietis auxilium, & ubi derelinquetis gloriam veſtram? Quæ omnia fuſiùs in Decreto exprimuntur, ubi per complures Canones dicitur; quòd prima Sedes, quæ omnes alias cauſas ſpirituales & Eccleſiaſticas judicat, à nullo alio ſit judicanda. *Cæterùm*, addit Avitus, *non facilè datur intelligi, qua vel ratione vel lege, ab inferioribus eminentior judicetur: quòd Synodus ipſa Venerabilis, laudabili conſtitutione proſpiciens cauſam, quam (quod ſalvâ ejus reverentiâ dictum ſit) penè temerè ſuſceperat inquirendam, divino potiùs ſervavit examini.* Poſtquàm videlicet Synodus in Baſilica Sancti Petri congregata, qua-

Ep. 2. Aviti. Vienn. Ep. nomine Galliæ ſcripta apud Sirmun.

Annus 1415.

Iſ. 10.

Decr. Grat. Part. 2. Cauſ. 9. 4. 13. c. Aliorum.

Ep. 2. Aviti Vien.

Annus 1415. quatuor ferme vicibus citâſſet Symmachum, ad reſpondendum, de criminibus ei objectis.

Hæc ſunt, quæ in cauſa Simmachi Pontificis acta ſunt, quæ hic fideliter placuit referre, ut Lector judicet, quid emolumenti capere potuerit, qui literas circulares compoſuit Concilij Conſtantienſis, cauſam Symmachi commemorando; & an Conſilium Regis Galliæ rationem habere potuerit improbandi proceſſum contra Joannem XXIII. inſtitutum, ejúſque depoſitionem, quem Concilium illud pro vero ſemper Pontifice agnoſcebat. Nam ex ipſa Hiſtoria Symmachi, cujus exemplum in Epiſtola Encyclica allegatur, evidenter patet, quòd Concilium Romanum & tota Eccleſia Gallicana, Ennodius, & Canones in Decreto Gratiani allati, jam pridem, pluſquàm nongentis annis citiùs deciderint, quòd ſoli DEO reſervanda ſit cognitio & judicium, de criminibus, quæ Pontificibus imputari poſſent; & conſequenter à nemine illos judicari poſſe, vel deponi, niſi Hæretici eſſent: tali enim caſu certum eſt, illos jam non eſſe Pontifices. Quamvis autem improbata eſſet in Gallia depoſitio judicialis Joannis XXIII. ille tamen poſt ſententiam licèt invalidam, ſcriptô authenticô, ſuáque ſponte, ceſſionem ſui Pontificatûs præſtitit, ad quam tunc jam à nemine urgebatur: atque ità nullum ſupererat de pace Eccleſiæ viciniſſima dubium; præſertim accedente voluntaria Gregorij abdicatione, quæ tandem in ſeſſione decima quarta die quarto Julij ſolemniter peracta eſt, in hunc modum.

Act. Concil. Conſt. Toparcha Ariminenſis Carolus Malateſta, ſingularis amicus, & unicus Gregorij Protector, ab eo, cum debita procuratione miſſus ad faciendam ejus nomine ceſſionem, receptus eſt à Concilio cum omni honore & magnificentia, in ſolemni ejus ingreſſu die decimo quinto Junij. In audientia, quam ei præbuit Imperator, proteſtabatur, ſe ad eum ſolum à Pontifice Gregorio mitti, & nullatenus ad Concilium. Inviſit nihilominùs omnes quatuor, unam poſt alteram, Nationes, tanquam Conventus particulares, eiſque ſuam exhibuit plenipotentiam. Celebrabatur intereà ſeſſio decima tertia eodem die contra Huſſitas de Communione ſub utraque ſpecie. *Act. Concil. Conſt.* Cúmque Patres pro ſeſſione decima quarta congregarentur die quarto Julij, Imperator Imperialibus ornatis veſtitus, de ordinario ſuo ſubſellio, ad aliud elevatum ante Altare tranſivit, & in hoc Cœtu præſedit, qui hac occaſione non repræſentabat Concilium: & Cardinalis Raguſanus atque Toparcha Ariminenſis, ſuas propè illum ſedes humiliores occupârunt. Tum perlectis Bullis à Gregorio Arimini die decimo tertio Martij editis, Dominus Arimini vi ſuæ poteſtatis, quam ei prædictæ Bullæ conferebant, commiſit locò ſui Cardinali Raguſano, ut ſcriptò declararet nomine Pontificis Gregorij, quòd pro pace Eccleſiæ procuranda, approbet hoc Concilium, tanquam Cœtum ab Imperatore, & non à Joanne XXIII. convocatum, illúdque confirmet. Deſuper Imperator ſuum conſuetum locum occupavit, prioremque Cardinali Oſtienſi, qui Concilio præſidebat, reliquit, & ſeſſio à ſolitis Cæremonijs inchoata eſt. Omnia, quæ hic acta fuerunt, ſolummodo erant, ut quidpiam bono Viro Gregorio diſſimularetur, & obedientiam ejus colentibus, unicus tolleretur prætextus, quem habere poterant, non agnoſcendi legitimum Concilium. Approbatio Gregorij utpote Pontificis jam depoſiti, & ſaltèm dubij, ſicut nullum Concilio novum jus conferre, ità nihil obeſſe poterat: profuit nihilominùs poſteà, quòd adhærentes Gregorio, de Concilio legitimo ambigere nequiverint.

Hac prima actione peracta, procuratio Ariminenſis Domini lecta eſt: qui propoſuit, an non expediret, renuntiationem differre uſquedum

Annus 1415. dum rescìatur ultimata Petri de Luna, in Conferentia Nicæna, resolutio? Ad quod reposuit Concilium, retardationem hanc nullatenus esse admittendam; sed renunciationem Constantiæ & in præsenti sessione faciendam esse. Dúmque Dominus Ariminensis pro actu isto se præpararet, lecta sunt Decreta, quibus Concilium declarabat duarum obedientiarum unionem, & quæ priùs ordinaverat de electione novi Pontificis, renovavit, censuras omnes ab utraque parte latas, abolevit; omnia Gregorij legitimè acta confirmavit; sex ejus Cardinales in sacrum Collegium recepit, ordinavítque Petrum de Luna ad renuntiandum intrà dies decem, aliàs cogendum esse sub pœnis omnibus tempore hoc elapso, quas jam per sententiam Concilij Pisani incurrerat, denuo incurrendis.

His peractis Arimini Toparcha Carolus Malatesta, qui tanquam Tribunus Generalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Gubernator Romandiolæ pro sancto Patre Gregorio XII. *Platin.* in sublimi throno quasi pro ipso Pontifice, præparato consedit, & brevem discursum valde ingeniosum, magna cum eloquentia pronuntiavit, super illa verba Sancti Lucæ: *Act. Conc. Const. Append. Luc. 2.* *Facta est cum Angelo multitudo militiæ Cœlestis*: eáque acutissimè applicabat Pontifici, qui actione heroica, nomen suum, *Angeli* resumebat, & Gregorij Pontificísque deponebat, ut pacem redderet hominibus bonæ voluntatis, uniendo se Concilio, in hac multitudine militiæ cœlestis repræsentato, cujus sensis accedebat. Discursu hoc magna cum laude absoluto, legit cum majestate, quasi ipse Pontifex fuisset, Formulam Renunciationis puræ ac simplicis, quam nomine Gregorij faciebat, omnis Juris, quod ad Pontificatum habuerat. *Platin.* Posteà de throno Papam non ampliùs repræsentans, descendit, & aliam sedem occupavit. Tum Archi-Episcopus Mediolanensis Ambonam *Act. Concil. Const.* ascendit, & Cardinale, qui præsidebat, mandante, scriptum legit, quòd sacrum Concilium Constantiense in Spiritu Sancto legitimè congregatum & Ecclesiam universalem repræsentans, admittat, approbet, & laudet cessionem, renunciationem & resignationem factam ex parte Domini, quem in sua obedientia Gregorium XII. appellabant, omnis Juris, si quod habuit ad Pontificatum: quæ cessio ejus nomine facta est per Magnificum & Potentem Dominum, Carolum Malatestam hic præsentem, & illius Procuratorem irrevocabilem in hunc finem. Desuper *Te DEUM*, à Musicis Concilij & Imperatoris decantatum est. Annus 1415.

Hæc gesta fuerunt de cessione Gregorij, quam ipse libenti animo & ingenua mente ratihabuit. *Niem. in Vit. Joann.* Cùm primùm enim Arimini cognovisset, quæ acta sunt Constantiæ, congregavit suos in Consistorio Cardinales, omnes residuos Prælatos & modicæ Curiæ suæ Officiales: ubi postquam Pontificali habitu ultima vice indutus, declarâsset, approbâsset, & collaudâsset acta suo nomine Caroli Malatestæ sui Procuratoris in Concilio Constantiensi, Tiaram, & omnia dignitatis Pontificalis insignia deposuit, protestando, se illa nunquam ampliùs resumpturum, sed contentum fore Primatûs inter Cardinales honore, & Legati perpetui in Marchia Anconitana, qualis Decretô Concilij renuntiatus fuerat, atque ità utrumque usque ad mortem obtinuit; quæ post biennium Recineti accidit. Platina more scriptorum malignorum, qui nomen sibi, à sinistra omnium rerum interpretatione comparare satagunt, asserit, eum ex amaritudine animi de amisso Pontificatu obijsse, & quòd Toparcha Ariminensis cum renunciatione usque ad finem Nicenæ Conferentiæ non expectaverit. Sed præterquàm quòd Vir ille indolis fuerit placidæ, mitísque, qui suorum potiùs quàm sua peccavit ambitione; tam violentus animi dolor, si fuisset, duobus annis integris ad eum sepeliendum non expectâsset; proinde

Annus 1415. inde credi potest, non aliam ejus mortis causam esse quærendam, præter ætatem annorum propè nonaginta, quæ, ùt reor, morbus est, apud Medicos incurabilis. Sic nimirum feliciter pro pace Ecclesiæ terminata est Sessio decima quarta, quam post biduum secuta est decima quinta; in qua gravissima ad Fidem pertinentia conclusa fuere negotia; primò condemnatio Joannis Hus ejúsque discipuli Hieronymi de Praga, qui erant duo præcipui Authores schismatis, & Hæresis in Bohemia exortæ.

Imperator Sigismundus cum vehementi animi dolore vidit miserabilem hujus Regni statum, propter horribiles perturbationes ab Hæreticis excitatas, & ex negligentia sui Fratris Wenceslai ortas, qui postquàm Pragâ Joannem Hus ejecisset, passus est illum reverti, & insolentiùs quàm unquam antecedenter dogmatizare. Quapropter statuit firmiter totis conatibus laborare, ad remedium tanto malo adhibendum occasione Concilij Constantiæ celebrati. In hunc finem, efficaciter egit apud Wenceslaum, motivis à Religione & ratione status petitis, ut Joannem Hus Constantiam mitteret. Scripsit etiam ad hunc ipsum Hæreticum valde urgentes literas, & suos expedivit homines, qui eum ad comparendum in Concilio hortarentur, ubi suam tueretur doctrinam, honoris admotô stimulô, & præclara sui defensione, demonstrando, neque se hæreticum esse, neque infectam Hæresi Bohemiam, prout per totam spargebatur Europam: Ei denique pro securitate salvum conductum in bona forma pollicebatur. Joannes Hus, qui ex una parte, pro consueto Hæreticorum genio plenus altissima sui ipsius æstimatione, nihil de magna dubitavit gloria sibi comparanda in aliqua celebri disputatione, metuebátque ex altera parte famam & existimationem in populo amittere, si recusando oblata, metum ostenderet, suæque causæ diffideret;

Cochla. l. 2. Hist. Hussit. Naucler Gen. 48. Udalr. Rochenthaler. Hist. Conc. Germ. Aug. 1483.

Alb. Krant. in Vandal. l. 10. c. 23. Cochla. L. 2.

Act. Joan. Hus. Bohem. apud Bzov. ad ann. 1414.

invitationem ab Imperatore factam, & concertationem acceptavit. Idque tanta cum præsumptione fecit, ut die vigesimo sexto Augusti, annô millesimô quatercentesimô decimô quartô apparuerit in portis Palatij, & omnium ferme Ecclesiarum Pragæ affixum, prolixum scriptum in tribus linguis Latina, Bohemica & Germanica, in quo dicebat: *Significo toti Bohemiæ & omnibus Nationibus, me velle sisti primo quoque tempore coram Concilio Constantiensi, in celeberrimo loco, præsente Papâ, Præsidente Papâ &c. Eò conferat pedem, quisquis suspicionem de me habuerit, quòd aliena à Christi Fide docuerim vel defenderim. Item doceat ibi, adstante Papa, me ullo unquam tempore erroneam & falsam doctrinam tenuisse; si me de errore aliquis cōvicerit &c. non recusabo quascunque hæretici pœnas ferre.* In proximo Generali Concilio Constantiensi, inquiebat, se velle respōdere, & juxta Sanctorum Patrum Decreta & Canones suam innocentiam in Christi nomine demonstrare. Et nè ullibi solemnis hæc provocatio ignota esset, eam in omnibus præcipuis Germaniæ Urbibus affigi curavit: & post lapsum aliquod tempus, quod præbere voluit provocatis ad præparandum se pro certamine, Pragâ die decimo quinto Octobris, magno cum splendore ac pompa discessit, in comitiva plurimorum discipulorum & amicorum suorum, qui eum satis procul honoris gratiâ, tanquam ad certam victoriam, proficiscentem, deducebant.

Illud singulare est, quòd adeò parum apprehenderit sui itineris exitum, ut etiam ante acceptum salvum conductum, quem petierat ab Imperatore, abiverit, & qui ei nonnisi die decimo octavo Octobris Spiræ fuerat expeditus; ità ut sinè ullo salvoconductu Constantiam advenerit, prout ipse fatebatur in literis, quas ad suos discipulos & amicos Pragam scripserat: *Stamus in Constantia, in platea prope hospitium Papæ: & venimus sinè Salvoconductu.* Suas Affixiones Latinas & Germanicas

Annus 1415.

Ex Act. Joan. Hus. Bohem. ap. Bzov. ad ann. 1414. & ex Anonym. Act. Hussit. t. 2. Oper. Joann. Hus.

Lit. Jo. ann. Hus ap Bzov. ex Anonym. Hussit. t. 2. op. J. Hus.

in

Annus 1415.

in omnibus, per quas transibat, Civitatibus, distribuebat: *in omnibus Civitatibus bene stetimus & apposuimus intimationes Latinas & Teutonicas*: quod ipse rursus in suis prolixis & facetis scribebat literis, Norimbergâ ad suos devotos & devotas Pragenses, ut eos participes faceret honorum peculiarium, qui ei ubique deferebantur: *Populus*, inquit, *stabat in plateis, aspicientes & quærentes, quis esset Magister Hus. In Pernau Civitate expectavit me Plebanus cum Vicarijs, & dum intravi stubam, tunc statim propinavit Cantharum magnum vini; & valde charitativè suscepit cum suis socijs doctrinam, & dixit se semper fuisse meum amicum &c.* Ex his patet, quòd in via dogmatizaverit, dum Constantiam proficisceretur, quò tandem die tertio Novembris, dum videlicet inchoabatur Concilium, advênit cum permultis Nobilibus Bohemis, qui tam celebrem Cœtum videre cupiebant.

Ep. 6.

Anonym. Hussit.

Ep. 3. J. Hus t. 2 Oper. ipsius.

In salvo conductu, qui pro illo Spiræ fuerat expeditus, & ab eo nondum acceptus, Imperator dicebat: Honorabilem Magistrum Joannem Hus Sacræ Theologiæ Baccalaureum, & Artium Magistrum præsentium ostensorem, de Regno Bohemiæ ad Concilium Generale in Civitate Constantiensi celebrandum, in proximo transeuntem - - vobis omnibus, & vestrûm cuilibet pleno recommendamus affectu, desiderantes; quatenus ipsum, cùm ad vos pervenerit, gratè suscipere - - omnique prorsus impedimento remoto transire, stare, morari, & redire liberè permittatis, sibique & suis &c.

Ex his evidens esse videtur, quod hic salvus conductus duobus circiter Mensibus post affixionem publicam expeditus fuerit, in qua palàm & ubique profitebatur, se ad Concilium Generale Constantiam iturum, seque omnibus pœnis Hæreticorum submittere, si vel de minimo errore convinceretur; & quòd salvus conductus datus non in alium finem ei datus fuerit, nisi pro quo illum ipse petebat, & quem Imperator sibi proposuerat, ad perturbationes Bohemiæ sedandas; & hôc articulô deficiente, qui erat fundamentum salvi conductûs, iste robur omne amiserit. Tandem enim Joannes Hus, neque illum petijt, neque illi datus est, nisi pro via & itu Constantiam ad defendendam suam contra adversarios doctrinam, submittendo se Concilio, quod pro legitimo Judice agnovit, cùm illud pro Concilio Generali habuerit, prout in suis fatebatur affixionibus. Quapropter dum Imperator suis omnibus subditis, ut eum sinant liberè, ac securè transire, subsistere atque redire præcipit, intelligere ista oportet, si ea præstiterit, pro quibus ipse salvum conductum petijt, eique datus fuit, quibus non præstitis, nihil prodesse debuit; ità ut non appareat, cur nonnulli Theologi & Controversistæ tot detorsiones atque subtilitates quæsiverint, ad defendendum Sigismundum; cùm in propatulo sit veritas purissima & simplicissima, quæ illum ab omni eximit injustitia, & quæ sola, absque alio fulcro, firmiter stat, etiam omissa præclari scriptoris authoritate, cujus memoria est in benedictione in Ecclesia propter insignem doctrinam & pietatem suam, & maximè propter mortem gloriosam, quam Londini subivit pro veritate ac Fide Catholica, quam strenuè defendit, & sanguine suo signavit; Illustris videlicet Anglus Edmundus Campianus Jesuita, qui in suo admirabili libello, decem rationum, quas Academicis Angliæ obtulerat, dicit; *quòd nec in Hussium animadversum fuisset, nisi homo perfidiosus & pestilens, retractus ex fuga, quam ei Sigismundus Imperator periculô capitis interdixerat, violatis etiam conditionibus, quas scriptò pepigerat cum Cæsare, vim omnem illius diplomatis enervâsset.*

Ex Act. Publ. ad ann. 1414. n. 17. In Hist. Huss. t. 1. 2. Op. J. Hus. & apud Cochla. L. 2.

Annus 1415.

Certum præthereà est, quòd nullum salvum conductum habuerit alium sive à Concilio, sive à Sigismundo, & quem nec ipse, nec discipuli ejus à Concilio petendum esse judicârunt;

Annus 1415.

cârunt; prout illum ejus sectatores Hussitæ à Concilio Basileensi, & Protestantes Germaniæ à Concilio Tridentino petiverunt. Nihilominùs Hussitæ permissi sunt vivere pacificè, ac liberè in hospitio suo Constantiæ conducto, in platea Sancti Pauli, ùt quidam Janovitz socius Hussi scripserat, usquedum innotuisset, quòd Conventicula instituerent, & Hussius dogmatizaret, Wiclefi errores docendo; Missamque licèt à Pontifice solemniter excommunicatus, celebraret, cum ingenti concursu populi, scandalo publico, & contemptu Ecclesiæ. Tum enim seriò monitus est ut desisteret; & Episcopus Constantiensis, jure timens, nè homo iste perniciosus venenum suæ hæresis, in populo diffunderet, existimabat, se Divinis humanisque legibus teneri, ad præpediendum tantum malum, Missam illi, suoque populo omne cum homine tam periculoso commercium Religionis interdixit. Deinceps diligenter illi invigilabatur, & homines fidi circa ejus hospitium à Concilio, Episcopo, & Magistratu constituti fuerunt, qui ejus actiones observarent.

Hist. Hussit. ap. Cochla. liberi sumus omnino in Constantia: & Magister quotidie Divina peragit Ep. Janovitz. apud Bzov.

Jac. Coret. Diar. apud Bzov. Udalr. Rechen. apud Cochla. L. 2.

Tum primò reflexiones formabat, quibus terrebatur. Ex una parte considerabat, se non ampliùs esse in sua Ecclesia Bethlehem, vel in foro Pragensi coram plebe ignorante, neque in Curia Wenceslai, vel coram aulicis, qui perlibenter audiebant hominem bona Ecclesiastica illis cedentem, coram quibus loquendum esset; sed in pleno Concilio coram sapientissimis quibusque Viris, ubi probè videbat, quòd sui adversarij, ex Universitate, & Clero Pragensi paratissimi starent ad fortissimum contra eum certamen, ad illum de Hæresi & omnibus perturbationibus in Bohemia causatis, accusandum, & convincendum. Ex altera parte non ignorabat, quòd contra prohibitionem legendi Missam, eam nihilominùs celebrare perrexerit, idque latere non potuisse, cùm sibi invigilari sciverit; nec adeò stolidus erat, ut non videret, quòd salvus conductus ei datus minimè fuerit ad dogmatizandum Constantiæ, prout faciebat Pragæ; sed solùm, ut cum securitate Constantiam veniret, ad reddendam Concilio suæ doctrinæ rationem, aut ad eam defendendam, si posset, contra illos, qui eum Hæreseos arguebant. Omnes istæ considerationes adeò illum consternârunt, ùt metu carceris fugam decreverit, & die vigesimo octavo Novembris, in stramine sepultus super Curru, qui in agrum pro necessarijs provisionibus pergebat, evehi se curaverit. Sed Henricus de Latzenbach Nobilis Bohemus, qui cum illo Constantiam venerat, visurus quid de doctrina ejus credendum foret, eique invigilandi curam gerebat, hanc fugam observans, illico denunciavit Magistratui, qui à suis satellitibus ad eum insequendum emissis, è stramine quo contegebatur, protractus, satis malô futuri eventûs præsagiô, Constantiam reductus fuit, ubi jussu Pontificis primò in quadam camera Palatij detentus, deinde in Conventu Patrum Sancti Dominici incarceratus, ac demum pro majore custodia ad vicinum Castrum deportatus est.

Cochla. L. 2.

Annus 1415.

Naucler Gen. 48. Cochla. L. 2. Laurent. Humfred. Theol. Oxon. apud Becan. t. 1. de fid. Hær. Serv. c. 16. n. 8. Udalr. Reich. Huss. apud Cochla.

Res hæc magnum excitavit rumorem; & nonnulli Nobiles Bohemi, atque Poloni ad Imperatorem scripserunt, querulantes, Fidem publicam Imperij in salvo conductu datam violari. His intellectis Princeps, qui Aquisgranum ad assumendam Coronam Imperialem abiverat, misit ad Pontificem & Concilium, rogans illum dimitti, *& ut dictus Joannes Hus publicè audiretur, de fide sua publicam redderet rationem, & si convictus fuerit, pertinaciter aliquid contra scripturam sacram & veritatem asserere, quòd id juxta instructionem & decisionem Concilij debeat emendare.* Hoc idem Nobiles illi Bohemi per libellum supplicem, quem omnes communi suo nomine porrexerunt, à Concilio petebant, *& fide jubebant pro ipso, quòd non effugiet de manibus* Com-

Littera Querimoniales de injuria Papæ c. 2. Oper. J. Hus fol. 75. vers.

Sched. per Nob. Bohem. t. 2. Oper. J. Hus fol. 7. vers.

Anno 1415. Ibid. fol. 11. verso. Tom. 2. Oper. J. Hus fol. 8. vers. Ep. 6. ib. fol. 8.

Commissariorum usque ad exitum negotij. Responsum Patrum erat, quòd illi Domini Bohemi malè informati essent, & ex bono constare fundamento, salvum conductum Spiræ fuisse expeditum, postquàm Joannes Hus Pragâ discessisset Constantiam, neque illi allatum fuisse nisi post aliquot ab eo incarcerato dies: quod satis congruit cum illis, quæ ipse Constantiâ de illo nondum accepto scripserat, & cum replicatis dictis illorum Nobilium, qui dicere nequibant aliud, quàm quòd ipsi permultis alijs, duobus circiter diebus ab ejus captivitate salvum conductum ostenderint.

Et quantumvis etiam citiùs illum habuisset, priusquàm carceri mancipatus fuisset; aliunde responderi cum satisfactione non poterat. Id enim, quod in suo libello supplici petebant, in virtute salviconductus, ipsum erat, quod Patres volebant; ut nimirum pro sua defensione audiretur, prout sæpissimè auditus est, & suos errores abjuraret, si illos Concilium deprehenderet; quod tamen nunquam facere volebat. Quòd de illius detentione conqueri non possint, cùm fugam dederit, & ità promissa violaverit de reddenda Concilio, suæ doctrinæ ratione, in quem finem solùm & unicum salvusconductus ei datus est, nec ultra prodesset: Et quia illi datus non erat, ut nova committeret crimina, dogmatizando, uti fecit in Civitatibus Imperialibus pertranseundo, & in ipsa etiam Civitate Constantiensi, ubi libertate gaudebat, & Missam contra claram Episcopi celebravit prohibitionem; illum proinde incarceratum non esse, nisi ut sua impleret promissa; & in singulari gratia illi condonari posse & crimina & errores, dummodo, juxta eadem promissa sua, definitioni Concilij se submittat. De cautione Nobilium illorum respondebatur; fidendum non esse in re tanti momenti, homini sua violanti promissa, sed illi fore libertatem se, ut libuerit, defendendi

Tom. 2. Op. J. Hussij. fol. 11. vers.

eúmque cum omni benevolentia & mansuetudine audiendum esse. Hæc sine dubio sensatis Viris satisfacere poterant. Imperator à Coronatione sua redux de omnibus, quæ gesta sunt edoctus, nihil contra procedendi modum Concilij, quòd opponi posset, invenit; & adeò questus non est de violata fide; ut potiùs Joannem Hus suæ fidei datæ & jam infractæ arguerit, & protestatus fuerit, se illum ad eam servandam compulsurum, & primis futurum, qui eum secundùm omnem justitiæ rigorem esset puniturus.

Interea negari non potest, quin ex una parte cum omni exacta diligentia & æquitate possibili; ex altera verò, cum omni charitate immaginabili de Joanne Hus actum fuerit. Primò enim impensi fuere plusquàm septem menses ab ultimo die Novembris usque ad Julium, in examinando ejus negotio. Duo Episcopi missi fuerunt in Bohemiam, ad capiendam informationem de propositionibus Hæreticis, quas ibi publicè prædicavit, & docuit, & de quibus relationem fecerunt in Concilio. In Sessione sexta nominati sunt Commissarij ex quatuor Nationibus electi, ad recipiendas testium depositiones, & ad examinandas propositiones ex libris ipsius desumptas. Auditus est frequentissimè tam publicè quàm privatim, ubi quæcunque voluit, produxit. Citatus est primarius ejus Discipulus Hieronymus de Praga, qui se defensorem ejus palàm declaravit. Cùm enim Pragæ intellexisset, Magistrum suum carceri mancipatum esse: occultè Constantiam advenit, & nocte diei Sabbathi antè Dominicam *Quasimodogeniti* ad portas magnæ Ecclesiæ affixit scriptum, in quo protestabatur se paratum esse ad defendendum Joannem Hus, & doctrinam Wiclefi, dummodò sibi publica securitatis fides tribuatur; & mox profugit. Desuper Concilium illum citavit, eique in eadem citatione salvum conductum obtulit, cum addito: *salvâ semper justitiâ*. Nimirum, quòd si Hæresim tueri, repe-

Anno 1415. Cochl. L. 2. Id. ibid. L. 2. Act. Conc. Const. Anonym. Huss. L. Huss. Ep. 21. 22.

Annus 1415. repertus fuerit, eam abjurare tenebitur. Sed uti eo non potuit: nam in confinijs Bohemiæ ad quendam Curatum perveniens, qui eo die suos Presbyteros prandio excipiebat, postquàm liberaliter haustui indulsisset, talia contra Concilium effutiebat, quòd Synagogam satanæ appellabat, & quòd ibi omnes Doctores & Prælatos confuderit; ut boni illi Presbyteri ad tantam obstupescentes audaciam, & impudentiam, illum ad Magistratum denunciaverint, qui comprehensum Constantiam miserunt, ubi Magistro suo in carcere associatus est. Intereà, ut tempus utrique consulendi suæ conscientiæ præberetur, priusquàm contra illos ulterius procederetur, condemnatæ fuerunt in octava Sessione, doctrinæ Wiclefi in quadraginta quinque articulis, prout jam Oxonij, Parisijs, Pragæ, atque Romæ factum erat; mandatum quoque fuit, ut ejus ossa exhumarentur & cremarentur, quod post annos circiter triginta ab ejus morte, executioni fuit mandatum. Damnata fuit etiam in decimatertia Sessione, memoria Petri Dresdensis & Jacobelli, de usu calicis.

Act. Concil. Const.

Durante hoc toto tempore, Commissarij, qui Processum instruebant, Cardinales, Episcopi, Doctores, & ipse Imperator, in Congregationibus de hoc negotio persæpe institutis, omnes imaginabiles adhibuêre conatus, ad convertendos Joannem Hus, & Hieronymum de Praga ejus discipulum, ut eos perducerent ad abjurandos Wiclefi errores, quos, quòd docuerint, convincebantur, & adhuc tuebantur: Porrò urgebantur adeò, ut permoti ad retractandum viderentur, præsertim dum Joannes Hus, prout scriptor Hussita testatur, humiliter, inclinato capite respondens ajebat, se eò venisse, non ut quicquam pertinaciter assereret, sed ut à Concilio instructionem meliorem acciperet, & non solùm instructioni, sed etiam sententiæ & correctioni se submitteret; fatebatur etiam triginta articulos in suis libris & Opusculis contineri; ità ut per Urbem fama, summa cum lætitia increbuerit, & omnes campanæ insonuerint ad gratias DEO reddendas pro conversione horum duorum hominum, à quibus Bohemiæ pendebat conversio, illisque liberalis decreta fuerit pensio, ad residuos vitæ dies in quodam Sueviæ Monasterio ducendos, nè ampliùs in Bohemiam reverterentur.

Cochla. Hist. Hussit. L. 2.

Hussit. apud Cochla. L. 2.

Sed paulò post in lucem prodijt, hæc omnia mera fuisse, præsertim Joannis Hus, figmenta. Cùm enim suis promissis urgeretur, primò se quidem retractationem facturum ajebat, sed privatim & non publicè, ità ut nihil in Bohemia innotesceret; quô manifestè Concilio illudebat. Dumque fortiùs impelleretur, asserebat, se quidem paratum esse humiliter parere Concilio, sed rogare nè mentiri cogatur, eos abjurando articulos, de quibus teste DEO, & suâ conscientiâ nihil unquam sciverit: Tum enim Joannes Hus locò defensionis propositionum suarum, quæ illi objiciebantur, & quas in suis Concionibus ex pulpito, & in libris scriptis profitebatur, & in illis reperiri fatebatur, eas impudenter suas esse negabat, quamvìs sæculi sui homo fuerit, devotum & mortificatum simulandi peritissimus; factum igitur inficiabatur, se videlicet illas nec unquam in sermonibus protulisse, neque in libris scripsisse: & quantumvìs testimonijs omni exceptione majoribus manifestè convinceretur, qui eum talia prædicantem sæpissimè audiverunt, eique in libris, manu propriâ scriptis, ostenderentur, ubi in terminis claris & expressis continebantur, semper nihilominùs cum prodigiosa pertinacia in facto negando, licèt omninò evidenti persistebat, dicere contentus, quòd si quispiam error in suis libris reperiretur, quem in conscientia non credebat, illum condemnet.

Annus 1415.

Cochla. L. 2.

Intereà Concilium instanter urgebat, ut sinceram & claram præstaret abju-

Anno 1415. abjurationem, secundùm formulam ei præscriptam cum juris & facti conjunctione, & idcircò tria ab eo exigebantur: primum, ut errores suos in propositionibus, quas tuebatur, contentos, ingenuè confiteretur: secundum, ut illos damnaret; tertium ut publicè & in scriptis eos retractaret, ad reducendos seductos. Semper autem cum extrema obstinatione respondebat, vel negando se dixisse, vel scripsisse, quæ illi objiciebantur, & de quibus per testimonia certa convincebatur; vel quòd suæ propositiones falsificatæ, & infideliter è suis libris extraherentur; vel in sano essent intelligendæ sensu, quem illis pro suo tribuebat placito, licèt in terminis, & naturali significatione illum non exprimerent; vel denique post omnia in contrarium demonstrata, quòd essent summè orthodoxæ; proinde illas nunquam se abjuraturum, nè alioqui scandalizentur illi, quos puras Evangelij docuit veritates: atque ità contra sua promissa, submittere se Concilio detrectabat. Finalis tandem ejus resolutio fuit, prout ipse ad suos discipulos scripserat, nullatenus articulos ullos abjurare, sive quos ipse agnoverat, & confessus fuerat, sive quos viva voce vel scriptis docuisse convictus erat.

Anony. Husfit. L. 2. Op. Jo. Hus. ibid. Ep. Jo. Hus. 39. 40. 41. Cochla. L. 2. ex Hus.

Illud magis mirum est, quòd tametsi perpetuò negaret, se docuisse Wiclefi propositiones, & in ejus scriptis repertas, ejus tamen doctrinam tanquam Viri Sancti reprobare noluerit, dicendo se optare ibi esse, ubi anima, tam Sancti erat hominis; cùm nihilominus certum sit, quòd Joannes Hus, in articulo de Eucharistia transubstantiationem confessus fuerit, de illa Tractatum in suo carcere composuerit inter alia sua opuscula, quæ inter custodes carceris sui distribuebat, ut eorum fidelitatem bona opinione de sua pietate corrumperet. *Respondit Magister Hus: non annihilatur; sed ibi singularis ille panis desinit esse per transubstantiationem in Corpus Christi.* Hic profectò concipi nequit; cur Domini Protestantes tantis hodiedum efferant elogijs Joannem Hus, quem inter suos censent illustrem. Nam si ille transubstantiationem tenuit, est adversarius illorum in articulo summè substantiali: si illam non tenuit; qua ratione laudare possunt hominem, qui eam confitendo, fidem ipsorum turpiter deseruit? sed sufficiebat illis, quòd se contra Ecclesiam Catholicam declaraverit, ad hanc sibi laudem & commendationem promovendam, & satis est, juxta eorum dictamina, ut Joannes Hus instar magni Viri habendus sit, quia semper, & immobiliter submittere se Concilio Generali recusabat.

App. Cochla. l. 2. Anonym. Husf. t. Act. Concil.

Anno 1415.

Nihil denique ab illo obtineri poterat, etiam, postquàm ipse Imperator binis vicibus eum ursisset acriùs, eique dixisset; quòd si Concilio parere noluerit, se prout ante datum salvumconductum protestatus erat, permissurum, ut secundùm leges procedatur; & adeò se non impediturum, ut Hæreticus obstinatus puniatur, ut potiùs, alijs deficientibus, ipse pœnas ei sit inflicturus. Quapropter in Sessione decima quinta, die sexto Julij, sententia contra eũ lata est hoc modo. In magnam Ecclesiam adductus fuisset ad mediũ Concilij, monitus pro ultima vice fuit, ut suos errores & quadraginta quinque articulos doctrinæ Wiclefi, toties damnatos, abjuraret. Ad hæc post multas excusationes ac tergiversationes, tandem respondit, se illos in conscientia condemnare non posse, præsertim hos tres: Quòd Papa Sylvester, & Imperator Constantinus erraverint, Ecclesiæ benefaciendo: quòd Papa, Episcopus vel Presbyter in statu peccati mortalis, non conferat Ordines, neque consecret, neque baptizet: & quòd Decimæ de jure non debeantur, sed sint simplices eleemosynæ. Desuper Episcopus Laudensis pulpitum conscendit, & sermonem contra Hæreticos pronuntiavit, ubi demonstrabat obligationem Principum secularium adju-

Anonym. Husf. t. 2. Jo. Hus.

Act. Concil. Const.

Cochla. L. 2.

Act. Concil. Const.

Annus 1415. adjuvandi Prælatos in exterminandis Hæresibus. Deinde lectus est processus, qui præter errores, continebat quadraginta capita & crimina, rebellionis, seditionis, & contemptûs authoritatis Ecclesiæ, de quibus plenè convictus fuerat; ac demum pronuntiata est sententia, vi cujus declarabatur hæreticus obstinatus, & incorrigibilis; damnabatur, ad degradationem à Sacerdotio, & ut libri ejus flammis publicè cremarentur, ipse verò justitiæ sæculari extradere- Cochla. L. 2. tur, attentô, quòd Ecclesia DEI ultra, quod ageret, cum illo non haberet.

Hæc omnia illico mandata sunt executioni: ibidem enim in pleno Concilio degradatus fuit ab Archi-Episcopo Mediolanensi, sex alijs Episcopis ei assistentibus. Qua functione peracta, Imperator, Duci Bavariæ, qui globum aureum ad Thronum Imperialem tenebat, mandavit, ut personam Joannis Hus interciperet; quem, Duce innuente, satellites mox apprehenderunt, eique super caput pileum papyraceum cum inscriptio- Udalr. Reichen Hist. Germ. Cochla. L. 2. ne: *Hic Homo est Hereticus*, imposuerunt, eumque ad locum supplicij duxerunt. Sacerdos, cui confiteri volebat, demonstrabat, sacramentum ei non profecturum, nisi retractet errores, quos Concilium in ejus libris damnavit: ipse autem respondit, cùm sibi peccati mortalis commissi conscius non esset, Confessionem posse omittere. Cùm ad palum jam alligatus esset, undique lignis & stramine circumdatus, Dux Bavariæ & Comes de Pappenhaim illum accedentes, exhortabantur, ut adhuc resipisceret; sed adeò id præstare noluit, ut potiùs populum alloquens, innocentiam suam semper assereret; ideoque Dux Bavariæ exe- Cruf. Ann. Suev. L. 6 p. 3. c. 10. cutoribus justitiæ demandavit, ut suô fungerentur officiô.

Nonnulli Protestantes Germaniæ, Prophetam ex illo facere nitebantur, eò quòd in sua pyra dixisse feratur: V. Gretsser L. de Au- *Crematus nunc anserem*, hunc enim vox bohemica Hus significat; *Sed post centum annos è suis exsurget cineribus* Annus 1415. *Cygnus, quem non comburetis*; per Cygnum intelligens Lutherum. Sed mism. ab Haret. fabula est pro libitu conficta: totum, quod ex Historicis Hussitis, qui supplicium & mortem illius spectabant, erui potest, illud solum est, Apud Cochla. quòd intrepidè atque cum magna pietatis apparentia exstinctus fuerit, Psalmos decantans, & nomen JESU Christi invocans, usquedum ingens turba flammarum in vultum ejus à vento impulsus, & per os ad interiora penetrans, vocem illi & vitam ademisset.

Quoad Hieronymum de Praga, Aln. Sylv. Cochla. qui plus ingenij, doctrinæ, atque eloquentiæ, quàm suus Magister, possidebat; quamvis minoris esset inter Hussitas authoritatis; laboratum adhuc est pro ejus conversione tribus ferè mensibus, ubi tandem se dedidit; vel saltèm dedere finxit. Intro- Act. Concil. Const. Sess. 19. Cochla. Hist Hussit L. 3. ductus enim in Concilium decima nona Sessione die vigesimo tertio Septembris, Ambonam conscendit, & alta voce legit abjurationem, quam privatim conscripserat, errorum Wiclefi, & Joannis Hus, & Professionem Orthodoxæ Fidei emisit, consensitque, ut, si relapsus fuerit, secundùm omnem rigorem Canonum, & legum Civilium puniatur. Gratias posteà egit eloquenti sermone, Patribus Concilij, quòd eum suis sanctis instructionibus eduxerint ex abysso, in quam ex ignorantia fuerat prolapsus, & protestabatur, se vivere & mori velle in fide Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Sed malè servavit promissa. Nam videns, quòd in contemptum eorum, à quibus antecedenter adorabatur, decidisset, essetque adhuc suspectus Catholicis, qui ejus actiones & locutiones observabant; in eam actus est desperationem, ut Constantiâ profugerit, se cum Hussitis reconciliaturus, & cuncta quæ ibi coactus gesserat, revocaturus. Haud felicior tamen fuit in hac secunda, quàm fuerit in prima fuga. Post multos enim per varias Germaniæ Urbes circuitus, ut

Anuns 1415. ut manus eorum, qui eum, uti non dubitabat, insequebantur, evaderet, altera vice in confinijs Bohemiæ comprehensus fuit ab hominibus Bavariæ Ducis, qui eum Constantiam reduxerunt. Ibi post omnem frustrà adhibitam pro salvando homine, tam bonis dotibus instructo, industriam; dum semper cum invincibili pertinacia, errores Wiclefi, & Joannis Hus denuò profiteretur; tandem brachio sæculari traditus est, & tanquam relapsus, vivus combustus, juxta sententiam, quam ipse contra se in pleno Concilio tulerat, dum suam Hæresim abjurabat.

Cochla. L. 3. Pagg. Florent. Ep. ad Leonar. Aretin.

Post hæc, non credimus, opus esse Apologiâ pro Concilio & Sigismundo, contra illos protestantes, qui illis publicæ fidei violationem objiciunt, quemadmodùm etiam nos arguunt, quòd eam servandam hæreticis non esse, doceamus; cùm tamen id manifesta sit falsitas, quæ satis apertè, nostros Theologos legentibus, ostenditur. Fuit illa semper inviolabiliter in hac occasione observata, prout suprà ostendimus, nihil contra salvumconductum fuisse actum: quod adeò verum est, ut neque Hieronymus de Praga, neque Joannes Hus dum hac de re cum Sigismundo loquerentur, neque antiqui Hussitæ, exceptis Nobilibus illis, qui rem non examinârunt, conquesti de hoc, eo tempore fuerint, ubi veritas apparebat longè clariùs, quàm ut ab hujusmodi adversariorum calumnia possit obscurari; quam soli quidam novelli, malè informati, longè posteriùs, sive per malitiam, sive per ignorantiam excogitârunt & confinxerunt, nescientes ea quæ diximus & elucidavimus, ex testimonijs authenticis; ità ut nihil porrò metuendum habeamus, quô ampliùs arguamur de gestis in hac Sessione Concilij; quæ tandem terminata fuit condemnatione abominabilis doctrinæ Joannis Parvi, celebris in Universitate Parisiensi Theologiæ Doctoris, & Professoris; qui erat homo vanissimus, & privatis lucris extremè deditus. Docebat ille in suo libello impresso, licitum esse omnibus & singulis, imò laudabile ac meritorium, occidere authoritate privata, Tyrannum; & posse adhiberi vias omnes ac media, proditiones, & blandimenta, ut in præparatas incidat insidias, non obstante ullo fœdere vel juramento qualicunque. Hæc abominabilis doctrina, quæ ad eversionem statûs publici & in ruinam societatis humanæ manifestè tendebat, horrorem omnibus probis incussit: proinde diligenti examine, & matura deliberatione præmissa, in Concilio damnata fuit, tanquam contraria fidei, & bonis moribus, hæretica, scandalosa, locum præbens fraudibus, deceptionibus, mendacijs, proditionibus, & perjurijs, declarando illos, qui hanc doctrinam perniciosissimam pertinaciter tenerent, esse hæreticos, & tanquam tales juxta sacros Canones puniendos. Hæc sunt, quæ in Concilio Constantiensi hac Sessione decima quinta acta fuêre; qua finita, pro reducenda obedientia Petri de Luna ad duas priores, & pro unione totius Ecclesiæ, iter ab Imperatore ad quod se obligaverat, suscipiendum erat, cujus successum & fructum libro sequenti referemus.

Vid. Becan. Tract. de Fide Hæret. servan. Molan. & alios Hist. Hussit. Cochla. L. 2.

Annus 1415.

Act. Concil. Const. Sess. 15.



HI-



HISTORIA DE MAGNO SCHISMATE OCCIDENTIS, IN COMPENDIUM REDUCTA.

LIBER VI.

Annus 1415. CONventum jam erat de loco Conferentiæ, inter Imperatorem Sigismundum, Pontificem Benedictum & Ferdinandum I. Regem Arragoniæ, Niceæ in Provincia, instituendæ. Sed infirmitas Regis & febris, quâ lentè consumebatur, effecit, quòd Sigismundus Urbem Perpinianum, in Ditione Arragoniæ sitam, acceptaverit. Concilium in Sessione decima sexta nominavit Archi-Episcopum Turonensem, & alios tredecim Deputatos, Episcopos, Abbates & Doctores, ad agendum unaniminter cum Imperatore in ista Conferentia; & in Sessione sequenti Decretum publicavit pro securitate itineris hujus, quòd quicunque cujuscunque statûs aut conditionis existat, etiamsi Regalis - - euntes vel redeuntes impediverit, perturbaverit - - sententiam excommunicationis incurrat - - & ulteriùs omni honore & dignitate ipsô factô sit privatus. Abijt Imperator Constantiâ die decimo octavo Julij cum magna Nobilitatis comitiva, postquam ante triduum à Concilio in Sessione decima septima Benedictionem accepisset; & totam Galliæ latitudinem usque Narbonam pertransijt, dum intereà Constantiæ, pro itineris ejus prosperitate preces publicæ & Processiones Generales instituebantur. Narbonæ longo tempore, subsistere cogebatur, propter difficultates à Benedicto objectas, ad præpediendam hanc Conferentiam, cujus exitum prævidebat, sibi haud fore propitium. Sed tandem Rex Ferdinandus, qui magnam illius rationem habebat, animum ejus blandè tractando, honoris & utilitatis considerationibus effecit, ut eum Valentiâ Perpinianum perduxerit, in comitiva quadringentorum equitum, & quingentorum peditum, quos pro securitate illius conscripserat. Ibi reperti fuêre Legati Castiliæ, Navarræ, & Galliæ, tanquam Mediatores bonæ solidæque pacis. Tum Imperator Narbonâ cum quadringentis vel quingentis Equitibus discessit, sed cum exiguo apparatu, quô ipsô magis inclaruit superba & magnifica pompa, cum qua in Confinijs receptus est ab Alphonso Duce Girundæ, filio natu majore Ferdinandi Regis, quem copiosa Nobilitas Arragoniæ & Cataloniæ sequebatur, in cujus medio Sigismundus donis opulentissimis ab hoc Principe honoratus, Perpinianum die decimo octavo Septembris intravit.

Act. Concil. Const. Sess. 17.

Annus 1415.

Mon. Dionys. L. 35. c. 19.

Om-

Annus 1415. Omnes in summa erant attentione de hujus Conferentiæ successu, nihil certi cogitari poterat, an plùs spei an timoris, à Benedicto homine sagacissimo pariter & obstinatissimo, prout jam toties observatum est, expectandum esset. Imperator, Deputati Concilij, & ipse Ferdinandus eidemonstrabant, quidquid forte ac vehemens ad eum convincendum, & quidquid patheticum ad permovendum censebant: quòd nimirum conscientia, honor, ejus promissa & juramenta nunc eum obligent, dum nullam in contrarium vel apparentem haberet rationem, non perficiendi, quod priùs aliquo prætextu specioso fortè in aliud tempus differre poterat. Quòd cùm Gregorius & Joannes duo maximi ejus adversarij Pontificatu se abdicaverint, conditio, sub qua ipse juravit se idem facturum, plenè sit expleta. Quòd pax. & tranquillitas Christianorum, jam unicè ab illo dependeat; quòd post annorum triginta octo schismatis, perturbationum, & desolationum, ille solus fuerit, & sit etiamnum obstaculum unicum, unionis, tranquillitatis & prosperitatis totius Christianitatis. Quòd, Ecclesia, quam ipse dicebat, sibi à DEO commissam, manus ad eum elevet in hac calamitatum abysso, in quam deturbata est, & ex qua ipse illam facilè potest liberare, dimittendo voluntariè id, quod ei paulò pòst sinè humana ope, vi auferetur; cùm in extrema senectute nonnisi mortem valeat præstolari, quæ jam vicina Pontificatum eripiet, cum æterno ipsius nominis opprobrio posteritati relicto; quem tamen deponere nunc posset ad tam breve tempus cum gloria immortali. Denique duo illustres Fratres Vincentius & Bonifacius Ferrerij, unus Dominicanus, & alter Carthusianus, qui satis diu illum sequebantur, quia, cum tota sua sanctitate invincibiliter credebant se posse in conscientia adhærere opinioni quorundam Doctorum & Episcoporum Hispaniæ, licèt, absque controversia, minùs probabili; omnes suos adhibebant conatus ad persuadendam illi hanc cessionem, & asserebant, se probè videre, quòd tota ejus obedientia sit ab illo recessura, prout etiam ipsi recesserunt, nè alioqui manifesti fierent schismatici. Annus 1415.

Marian. l. 20. c. 7. Vall. in Vit. Ferdin. Surit. Hist Arrag. L. 12.

Mirabilis est illa passio indomita, quæ adeò parum cum ætate infirmatur, neque cum fervore sanguinis deficiente exstinguitur in senectute, ut potiùs fortior atque ardentior non rarò evadat ad retinendum semper, quod moriendo perdere cogitur. Omnes istæ considerationes commovere non poterant Benedictum, qui semper ùt saxum durus in suo proposito Pontificalē Tiaram nunquam dimittendi persistebat. Semper totis viribus asserebat, se verum esse Pontificē: & quamvis rationabiliter de hoc dubitari posset, se in causa non esse in præsenti rerum statu, schismatis continuati, sed Cœtum Constantiensem; cùm enim duo alij, omni jure, quod habere poterant ad Pontificatum, cesserint, se jam solùm esse Pontificem; adeoque si ipse pro vero agnoscatur Pontifice, schisma sinè alio concurrente finiretur: è contrario, nova electione facta, schisma resuscitaretur, duoque pro uno forent Pontifices; qualis ipse omnino velit semper esse & manere; neque in conscientia posset, ùt ajebat, naviculam Sancti Petri deserere, cujus gubernaculum DEUS in manus suas reposuit. Quòd quò senior est, eò magis obstringatur ad suum debitum implendum, & ad resistendum fortissimè contra tempestatem, nè divinam in se provocet indignationem, & contemptum incurrat mortalium omnium, committendo in fine dierum suorum, indignam ætate sua ignaviam. Cæterùm si novus eligendus videtur Pontifex, nullum alium, præter se, eligi posse; cùmque ipse unicus esset inter omnes Cardinales ante schisma, à Gregorio XI. creatus, alium non esse, juxta ipsos adversarios, cujus promotio certior esset, & consequenter, qui jus haberet

Annus 1415. ret indubitatum ad electionem Pontificis, & alius semper foret incertus, ac schisma resuscitaturus, si à Cardinalibus eligeretur, quorum conditio potest in Controversiam vocari. Quòd proinde securiùs sit pro bono & pace Christianitatis, ut ipse pro vero Pontifice ab omnibus agnoscatur.

Ecce illa, quæ Petrus de Luna tuebatur, pro sua causa perorans, tanto cum ardore & animi contentione, vires, quas ei senectus plusquàm octuaginta ferme annorum negabat, ambitio subministrabat; & cùm quodam die in Conventu Generali Principum, & Legatorum, de hoc eodem argumento septem integris horis, absque interruptione disseruisset, usque ad lassitudinem Legatorum, fuit æquè robustus & vividus, ac in principio sui sermonis. Tantas vires habet Passio ad roborandam infirmitatem naturalem in prosecutione ardente suorum cœptorũ, cujus vehemens desiderium contra omnes difficultates, atque obstacula, quæ illi adversantur, vires quodammodo augeat, & animum accendat.

Quidquid denique Imperator, Rex Arragoniæ & Legati Concilij aliorúmque Principum, suis argumentis & supplicibus libellis asseverarent, ut eũ ad promissa & juramenta toties facta implenda permoverent, & ut Pontificatum per se ipsum aut per Procuratorem eô modô, ijsque conditionibus, uti Gregorius XII. resignaret; ille nihilominùs protestabatur semper, adhibitis sibi consuetis innumeris falsis subtilitatibus, quòd scilicet in præsenti Ecclesiæ statu, in conscientia, postulatis annuere non possit, neque ullum commercium admittere cum Cœtu Constantiensi, quem, schismaticorum conventum appellabat, omni etiam libertate destitutum, & consequenter Pontificem illic eligendum, nonnisi intrusum fore, atque Idolum. Imperator igitur, nihil ampliùs ab homine obstinato sperans, censebat Narbonam esse redeundum;

Act. M. S. Fr. Car. Barber apud Raynal. Act. Cong. Perpin. apud Bzov.

inde tamen Perpinianum nonnullos misit Deputatos, ad preces Ferdinandi Regis & Legatorum Principum obedientiæ Benedicti, qui promittebant se ab illo recessuros, nisi unitis omnium postremis conatibus flecti voluerit. Sed Benedictus, metuens nè vehementiùs urgeretur, & forsan interciperetur, cum suis copijs die decimo tertio Novembris, Illiberim se recepit; ubi postquàm ad ultimas omnium Principum instantes interpellationes, in forma libelli supplicis ei porrectas more suo respondisset; altero die cum quatuor Cardinalibus & Prælatis Curiæ suæ quatuor triremes, quas in Portu illo præparatas habebat, conscendit, & Paniscolæ, in arce illo tempore munitissima se inclusit, quæ ad prosapiam de Luna pertinebat, in una Peninsula prope Tortosam, ad ostia Ebri sita.

Ep. Arch. Narbon. ad Conf. ap. Bzov. ad hunc ann.

Ibi constituto, postremæ à Principibus factæ sunt instantiæ, post quas Rex Ferdinandus & Legati Principum, de consilio Sancti Vincentij Ferrerij concluserunt, obedientiæ Benedicti renuntiandum esse, atque Concilio Constantiensi accedendum, conditionibus æquè faventibus, quæ adhærentibus obedientiæ Gregorij XII. post Concilium Pisanum concedebantur: quas Imperator & Deputati Constantienses signârunt, & Patres Concilij confirmârunt; qui ut primam earum conditionũ exequerentur, Principes & Prælatos de obedientia Benedicti convocârunt, isti verò vicissim Constantiam, illos acciverunt, qui alias duas sequebantur obedientias, & jam præsentes aderant. Hæc Cæremonia, pro honore Hispanorum salvando, censebatur observanda. Cæterùm Ferdinandus Rex, morbô suô semper magis gravatus, ex quo post tres menses obijt, succedente illi filio Alphonso Magnanimo, nolens ratificationem sui Tractatûs diutiùs præstolari; festô Sanctorum Trium Regum suum publicavit unionis, cum sacro Concilio Constantiensi Edictum, cum inhabi-

Surit. l. 12. c. 15. Act. Concil. Const.

Marian. L. 20. c. 7. 8.

Annus 1415. hibitione subditis suis omnibus facta, nè porrò Petrum de Luna agnoscerent. Hoc Edictum Sanctus Vincentius Ferrerius Perpiniani promulgavit, in præsentia Regis & Principis Alphonsi totiúsque Curiæ: ubi dicebat, quòd sicut illo die tres Reges Orientis munera sua mystica JESU Christo obtulerunt, ità tres Reges Occidentis, nempe Arragoniæ, Castiliæ atque Navarræ, eodem Spiritu DEI uniti pretiosa munera cordium suorum ei cum perfecta obedientia offerant, debitámque Ecclesiæ beatam pacem, quam ab annis propè quadraginta suspirabant, devotè restituant.

Idem factum est in Regno Castiliæ; ubi tamen Archi-Episcopi Toletanus & Hispalensis aliquamdiu pro Benedicto stabant, quos ille sibi devinxerat, & qui intereà Paniscolæ miserabile instituit Conciliabulū, vanáque anathematum frustrà vibrabat fulmina contra suos desertores, maximè Ferdinandum, quem ordinariè singulis diebus excomunicabat. Rex Navarræ cum suis, anathemata hujusmodi contemnentes, Actu publicô ejus renunciavit obedientiæ, omnésque illi Principes, ad Concilium Constantiense suos mittebant, licèt diverso tempore, Legatos, per quos Concilio se jungebant: ubi post leves aliquas, de subsellijs controversias, per Decretum declarabatur, locum, qui exigebatur, omnibus tam in Congregationibus quàm in Processionibus salvo jure cujuscunque, quæ prætendebantur, mansurum. Hispani Concilio uniti, quintam in eo constituebant Nationem, suúmque uti aliæ quatuor, habebat suffragium; obedientia verò tota Petri de Luna, unius saxi, in quo, Civitas modica & Castrum stabat Paniscolæ, ambitu concludebatur, ubi obstinatus iste Antipapa veram Ecclesiam eò reductam esse contra totum Orbem residuum, qui eum deseruit, contendebat. Eodem quippe tempore Scotia, misso Abbate Pontiniaci, à Concilio pro ea reducenda, illum deseruit, contra omnes pro illa in ejus obedientia retinenda, cujusdam Franciscani Angli Legati sui conatus, qui etiam fugam dare debuit, ut pœnas meritò formidandas, propter quasdam propositiones periculosas, quas spargebat, & pertinaciter tuebatur cum scandalo Cleri, evitaret.

[Margin: Surit. l. 12. c. 6.]
[Margin: Annus 1416.]
[Margin: Act. Concil. Const.]
[Margin: Hect. Boet Hist. Scot.]

Intereà Sigismundus necessariam existimabat, pro consummando magno Pacis Ecclesiæ opere, concordiam Regum Galliæ atque Angliæ, inter quos bellum ardebat: ad illam procurandam Parisios venit; & pacem vel saltèm armistitium quatuor aut quinque annorum Regi proposuit. Inde in Angliam trajecit, & Londini cum Rege Angliæ idem tractavit negotium; sed quia duas illas Nationes contra se invicem adeò exulceratas reperit, ut reconciliari non possent, rebus infectis Constantiam sub initium anni sequentis redijt: ubi Processus contra Petrum de Luna instruebantur, postquàm Concilium pro ultima vice illum citari curâsset per duos Doctores Ordinis Cluniacensis, in Arce Paniscolæ; observatô exactè omni juris ordine in Sessionibus præcedentibus; iteratò è Pontificatu depositus est in trigesima septima Sessione, die vigesimo sexto Julij, eo ritu quo ejus depositio in Concilio Pisano facta est, quin tamen hâc secundâ sententiâ magis quàm primâ fuisset commotus. Postmodùm promulgatum est Decretum, vi cujus novus Pontifex eligendus, obligabatur ad collaborandum cum Deputatis Nationum pro reformatione Generali Ecclesiæ, & specialiter Curiæ Romanæ, quoad conditionem, numerum, & Patrias Cardinalium, de Reservationibus, Annatis & Collationibus Beneficiorum; de Simonia, Commendis, Decimis, Indulgentijs, & alijs, ubi abusus aliqui notabantur irrepsisse. Hæc tamen aliqua ex parte nonnisi post electionem novi Pontificis mandata sunt executioni.

[Margin: J. Juvenal.]
[Margin: Cod. Vict. ap Spond.]
[Margin: Annus 1417.]
[Margin: Act. Concil. Const.]

Post resignationem Pontificis Joannis

[Margin: Gobelin. Person.]

Annus 1417. annis & Gregorij, & depositionem Benedicti procedendum erat ad electionem novi Pontificis & Ecclesiæ Capitis: quæ ut in hac occasione, cum magìs certo, & magis universali Ecclesiæ consensu institueretur, statutum est in Sessione quadragesima, quòd pro hac sola vice, & de consensu Cardinalium, sex Deputati Ecclesiastici ex quinque Nationibus, illis adjungentur ad hanc electionem faciendam, & ille, qui à duabus tertijs partibus Cardinalium & Deputatorum ex Nationibus eligetur, pro vero & indubitato Successore Sancti Petri sit habendus. Desuper, in Sessione sequenti, post lectam constitutionem Clementis VI. de observandis in Conclavi, electi fuêre triginta Deputati quinque Nationum, qui fuerunt, Patriarcha Constantinopolitanus, quinque Archi-Episcopi, duodecim Episcopi, & duodecim alij Prælati vel Doctores. Hi triginta electi Nationum cum viginti octo Cardinalibus trium obedientiarum, qui omnes simul conficiebant quinquaginta octo Electores, Conclave die octavo Novembris intrârunt, & post triduum omnes una voce elegerunt, Othonem Columnam Cardinalem Diaconum, qui in honorem Sancti, cujus die festo electus est, nomen Martini V. suscepit.

Act. Concil. Const. 30. Oct.

Erat ille ex Domo valde Illustri Columnensium, quæ est una ex primarijs, maximis & Nobilissimis Prosapijs non solùm in tota Italia, verùm etiam in tota Europa, tum ob antiquitatem, tum ob Viros magnos, quales ex illa prodiverunt, & præclara tam pace, quàm bello gesta, quæ in summis negotijs mundo exhibuerunt. Agebat annum ætatis circiter quinquagesimum, Vir magnæ sapientiæ, qui per omnia Curiæ Romanæ officia exercitatus, magnam sibi excellentis Ministri & Viri probi existimationem comparavit: quod Innocentium VII. inter Pontifices magìs virtuosum induxit, ut eum durante schismate, sacrâ Purpura honoraverit, quam ille vicissim omni genere virtutum in omnì sua agendi ratione condecoravit, maximè autem insigni zelo, pro publico bono, nulli unquam divisioni, quæ inter Patres Concilij sæpè nascebantur, adhærendo. Acquisitâ igitur universali omnium æstimatione & famâ, mox in Conclavi persuasio erat communis, unicum esse illum, qui meliùs detrimenta, quæ hactenùs passa est Ecclesia, reparare posset; atque ità electus est Pontifex tanto cum applausu & lætitia communi & excessivam tam Curiæ totius quàm Populi, ut Sigismundus ipse, velut suæ in hoc impetu immemor dignitatis Imperialis, veniens cum turbis, undique ad hæc nova, concurrentibus, primus ad pedes Electi procideri, & gratias Electoribus egerit pro tam idoneo Pontifice & Pastore dato Ecclesiæ. Deductus posteà fuit ab Imperatore & toto Conclavi in magnam Ecclesiam, ubi tanquam Pontifex, more consueto fuit adoratus; & postquàm Cardinalis Ostiensis illum ordinâsset Presbyterum die Sabbati vigesimo primo Novembris, altero die solemniter coronatus est, & in Processione per Urbem, sub magnifico conopeo, Imperatore ex parte una, & ex altera Fridericô Burgraviô Norimbergæ, & Electore Brandeburgico ambulantibus, & frænum equi tenentibus, usque in suum Palatium deductus fuit. Annus 1417.

In quatuor adhuc Sessionibus ultimis, post suam electionem Concilio præsedit; quibus durantibus Cardinalis Sancti Eusebij, quem Legatum in Arragoniam miserat, discessit ad urgendum adhuc nomine suo Petrum de Luna ad deponenda Pontificatûs insignia, & ad submittendum se illi, quem universus mundus, excepta Rupe Paniscolæ, pro vero agnoscebat Pontifice. Rex Arragoniæ pariter, quidquid ex parte sua poterat, in eundem finem adhibuit, solis tamen momentis rationum & promissis absque admixta fortitudine, quòd adhuc permulti Arragones, erroneè persuasi hactenùs, nullum

Platin. Ciacon. Surit.

Annus 1417. lum alium præter Benedictum, esse Pontificem, magnam ab ea recedendi ostendebant repugnantiam. Ipsi ejus Cardinales suas precibus Regis adjungebant, eúmque obtestabantur, nè porrò obstinatus maneret ipse solus, contra totam Ecclesiam, adversùs illum reunitam. Sed omnes conatus isti fuêre inutiles, nihilque hominem illum permovere valebant, qui respondebat, more suo cuncta eludendo, hoc negotium terminari aliter non posse, quàm ut coràm ipse cum Electo conferat, quem pro Intruso tenebat: & quòd, si adeò rationabilis ac probus est, uti depingitur, facilè primo congressu in solidam pacem Ecclesiæ sint consensuri. Visa igitur tam invincibili ejus in suo sensu obstinatione, è sex Cardinalibus quos habebat, quatuor ab illo recesserunt, & novo Pontifici accesserunt, qui eos apertis brachijs complectens, illico in dignitate ipsorum confirmavit: ità ut nonnisi duo remanserint Paniscolæ, nimirum Julianus Lobna, & Dominicus de Bonafide Carthusianus, ambo Hispani, quales erant quatuor alij, quos Petrus post Pisanam sui exauctorationem creavit. (Ciacon. Benea. XIII. Act. Lega. Card. ap. Bzov.) Annus 1418. Intereà, cùm jam annis quatuor & dimidiô, Constantiæ duràsset Concilium; & plerique terminum illius desiderarent; Pontifex, idem cupiens, ut ad disponenda negotia perturbatæ Italiæ abire posset, Urbem Ticinum, de consensu Patrum in Sessione quadragesima quarta, designavit pro novo Concilio post quinquennium celebrando; & in Sessione sequenti, quæ fuit ultima, die vigesimo quinto Aprilis, Patres cum solitis Cæremonijs dimissi fuêre, omnésque cum gaudio in suas revertebantur Provincias.

Sigismundus, quamvis pro gloria sua optaverit continuari Pontificis in Germania commorationem; Pontifex nihilominùs gravibus de causis in Italiam reverti cogebatur, ad providendum valde perturbatis Sanctæ Sedis negotijs. Proinde separari eos ab invicem oportebat. Sigismundus in sua discessit Regna, & in Hungaria cædebatur à Turcis, atque in Bohemia ab Hussitis Duce ipsorum Ziska seu Borinic; & Martinus Pontifex superatis Alpibus, diu Florentiæ pro recuperanda Urbe munita Perusina substitit, quam Brachius de Montone contra Ecclesiam cum pluribus alijs locis post mortem Ladislai usurpatione retinebat. Ibi durante sua commoratione, quatuor illos Cardinales recepit, qui Petrum de Luna deseruerant; & Balthasar Cossa Florentiam veniens ad pedes Martini se demisit, ac vitæ suæ cursum præclaro actu terminavit, qui majorem sanè meretur gloriam, quàm fuerit ex privatione Pontificatûs ignominia. (Annus 1418. Aen. Syl. Dubrav. l. 24. Aventi. l. 7. Antonin. Platin. Onuphr. Ciacon.)

Quatuor jam ferme labebantur anni, quibus in carcere detinebatur; dum Florentini, cum quibus concordiam semper fovebat, humillimè supplicabant Pontifici, ut ejus miserijs compateretur, eique totalẽ libertatẽ procuraret, quam paulò pòst acquisivit. Hic Pontifex sive jam cum Comite Palatino de illo liberando tractaverit, credens eum sibi securum satis futurum in Italia, ùt nonnulli eo tempore abitrabantur; sive captivus libertatem suam triginta millibus scutorum redemerit, sicut plerique scripserunt; illud certum est, quòd illo tempore ex carcere prodiverit, & in viciniam Parmensem adveniens, multos antiquos amicos, ad magnam pro illo factionem conflandam, dispositos repererit. Cùm primùm enim ejus ibi adventus innotuisset, permulti eorum, qui in Legatione Bononiensi, vel in Pontificatu ei serviverant, sua illi rursus obsequia offerebant, alij amicitiæ causâ, alij ex odio & invidia contra novum Pontificem, & ferme omnes desideriô novitatis, & spe melioris fortunæ inter novas perturbationes adipiscendæ. Potenter sollicitabatur ad ornamenta Pontificalia resumenda, ut se tanquam Pontificem gereret, & contra vim, atque injustitiam sibi Constantiæ illatam, protesta- (Leonar. Aretin. Hist. Ital. Ciacon & alij. Annus 1419.)

Annus 1419. testaretur. Atque ità horrendum apparebat periculum, resuscitandi schismatis longè majoris, & præcedente perniciosioris; siquidem parvi Tyranni terras Ecclesiæ usurpantes in Ditione Perusina, & Bononiensi, in Ducatu Spoletano, & Marchia Anconitana, atque in Patrimonio Sancti Petri, sinè difficultate pro illo se declarâssent, ut ità in sua usurpatione, ejus favore ac nomine, permanerent.

Tentatio erat profectò vehemens, præsertim pro homine, qui ambitiosus credebatur, & adeò perditæ conscientiæ, tam severè tractato; &, quod amplius est, dum coactionem ac violentiam, valde plausibiliter poterat prætexere. Sed tandem apparuit, quòd vel tam improbus, ùt dicebatur, nunquam fuerit; vel quòd in Virum planè alium fuerit mutatus. Postquàm enim audivisset omnia, & probè comprehendisset, quæ illi dicebantur, de eo ad thronum reducendo; ipse motu proprio derepentè aliter in animo statuit, & illis periculosis nihil dicendo amicis, qui se adeò solicitos de illo exaltando exhibebant, solus ferme florentiam tanquam pauper fugitivus se contulit, nullâ secum pro securitate acceptâ custodiâ, & ad pedes Martini Pontificis in pleno Cœtu procidens, eum tanquam JESU Christi Vicarium agnovit, & veneratus est, ratificando rursus omnia, quæ in Concilio de se, & de illo gesta fuerunt.

Spectaculum hoc lachrymas ex oculis omnium adstantium prolicuit, dum Virum cordis amplissimi, & quem universa terra adorabat, in tam lamentabili statu positum viderent, paulò anteà in eodem throno elevatum, in quo sedebat ille, qui ei ipsi serviebat, eúmque tanquam Dominum & summum Pontificem venerabatur. Sic etiam Pontifex Martinus, Princeps humanissimus, hac ejus misera conditione ità permotus fuit, ut ipse illum à terra elevaverit, & cum innumeris affectûs tenerrimi significationibus, omnia quæ potuit, ad eum, in hac fortunæ mutatione consolandum dixerit & fecerit. Annus 1419. Præterquam enim, quòd eum Cardinalem, & Sacri Collegij Decanum creaverit, voluit etiam, ut in omnibus Cæremonijs publicis, in Capellis Pontificijs, & Consistorijs, alijsque Cœtibus & Congregationibus, semper suæ personæ proximus assideret, in sede cæteris omnibus altiore, ut in eo saltèm umbra Majestatis Pontificiæ, quæ in eo Ecclypsata erat, honoraretur. Sed non diu hac imbecilli fruitus est consolatione, quam illi Benignitas Pontificis exhibebat: nam post sex Menses mortuus est, major ex sua depressione & infelicitate bono suæ adversitatis usu, quàm unquam sua fuerit ex prosperitate in supremo magnitudinum hujus mundi fastigio. Senior Comes de Medicis amicus ejus intimus, & opulentissimus, & pariter magnificus, licèt privatus, non solùm in Italia, verùm etiam in toto mundo celeber, Posthuma ejus obsequia honorare voluit *Ciac. Jov. in Elog.* funebri pompâ, quæ Majestati Pontificali ferme par erat, eique in Ecclesia Sancti Joannis, superbissimum erigi fecit monumentum; quod tamen haud adæquat, illud, quod hic Pontifex posteritati reliquit, hac postrema actione, quâ tam heroicè seipsum, fortunámque suam, & sublimitatem, paci Ecclesiæ sacrificavit. Hoc elogium jure tribuendum esse duximus huic Viro, in utraque fortuna celebri, dum plerique scriptores, tam Protestantes quàm Catholici, cum nimio illum tractant rigore, nè dicamus injustitia, exponendo, atque etiam exaggerando, ex una parte, omne malum ei attribuendo, quod fecit, & forsan etiam quod non fecit, illique falsò adscribitur; ex altera verò præclara & heroica gesta supprimendo, quæ, uti retulimus, contra propria commoda, & sensum doloris gessit, ut pacem redderet Ecclesiæ. Sic igitur, postquam Joannes & Gregorius Pontificatum prætendere non possent, & nonnisi una

Pen-

Annus 1419. Peninsula, vel potiùs una rupes in Angulo Regni Arragoniæ residua esset, quæ contra totam reliquam Christianitatem adhuc stabat cum insuperabili Petri de Luna obstinatione; videbatur schisma in occasu brevì sepeliendum; quando ecce subitò iterum in flammam propter emolumenta temporalia erupit.

Annus 1420. 1421. 1422. 1423. Discordia hæc admodùm periculosa inter Pontificem Martinum & Alphonsum Regem Arragoniæ nata est propter Regnum Neapolitanum, quod Rex obtinere cupiebat, semper obsistente Pontifice; ut tandem Alphonsus manifestum se Martini hostem, & Petri de Luna Fautorem ac Protectorem declaraverit, & Antipapam non solùm in Arragonia, verùm etiam in Regno Neapolitano, pro legitimo Pontifice, agnosci fecisset, nisi Providentia Divina malum hoc præpedivisset. Cùm enim hic Princeps investituram Regni Neapolitani à Pontifice consequi non potuisset, furiosè irritatus contra Martinum, vindictam homine Christiano prorsus indignam concepit, nova schismatis excitatione, tam ante quàm post mortem Petri de Luna; qui tandem post triduum à reditu Ferdinandi Neapoli in Hispaniam, ex hac vita decessit. Illud hìc stupendum est, quòd unus homo inter tot adversitates, tam diu solus & unicus, contra totum fere mundum durare, ac vivere potuerit, ferme usque ad nonagesimum ætatis annum. Sunt etiam, qui credebant, quòd diutiùs adhuc victurus fuisset, nisi quidam improbus Monachus, cui multum fidebat, illi venenum in dulciarijs, quibus ille post sumptos cibos, ordinariè utebatur, miscuisset: addunt, quòd Parricida ille crimen suum confessus, quadrifariàm dissectus fuerit; & Cardinalis Pisanus Legatus in Arragonia, qui de subornatione illius Venefici falsò arguebatur, celerrimâ fugâ se in Italiam recipere coactus fuerit, nè in manus duorum Nepotum Petri de Luna incideret. Quidquid hac de re sit, illud certum est, quòd intrepidus, & sui plenè compos, obierit: atque adeò persuasus, quòd verus esset Pontifex, ut sub pœna maledictionis Divinæ obstrinxerit duos, qui ei restabant Cardinales, ad eligendum alium, locò sui, Pontificem. Corpus ejus in Capella Castri Paniscolæ depositum fuerat, usquedum post sexennium, repertum incorruptum, & suavi odore fragrans, à Comite Joanne de Luna Nepote ipsius Iglueram, Civitatem Arragoniæ, ad Domum de Luna pertinentem, translatum fuisset; ubi asseritur, in hæc usque tempora manere incorruptum, sive jam id ex admirabili constitutione naturali, sive ex efficacia & virtute pharmacorum, quibus fortè imbutum erat, sive denique ex alia nobis incognita causa proveniat.

Lud. Pansan de Vit. Bened. ap. Marian. l. 20. c. 14. — *Ciacon. in Bened.* — *Annus 1423.* — *Marian. l. 21. c. 2.* — *Ciacon. in Bened.*

Illud tamen hìc dicendum videtur, absque illa præoccupatione, quam nonnulli passionati scriptores sequuntur, ejúsque memoriam plurimis lacessere non desinunt injurijs; illum videlicet fuisse unum ex maximis sæculi sui Viris in omnibus bonis dotibus, mentis & animi, cum magna vitæ integritate insignem, eique solùm objici posse, falsas subtilitates atque artificia adhibita, ut viam cessionis evitaret, ad quam se obligaverat, quam probè scivit esse unicam ad integram schismatis exstirpationem: quod autem attinet ad Concilium, cùm omnino persuadere non potuerit se legitimum esse Pontificem, utpote gnarus, quæ in electione sinè violentia, & post eam cum notificatione libera, Urbani VI. gesta fuerunt; licèt ex altera non ignoraverit, quòd Concilia nullam habeant in Pontifices potestatem, prout in quodam suo Tractatu bene probaverat: ideò credere non valebat, se obstrictum non esse ad cessionem Pontificatûs toties promissam.

Nomencl. Cardin.

Quòd autem nonnulli asserere voluerint, verum non fuisse Pontificem, ex eo, quòd nimirum ejus Pontificatus usque ad annum trigesimum excurrerit; præterquàm enim,

Annus 1423. nim, quòd inde nihil concludatur, & falsum sit, Pontifici inter Cæremonias Coronationis dici: *Non videbis annos Petri;* homines illi, non perpendunt, quòd sanctam Sedem non possederit nisi fortè quindecim annis antequàm in Concilio Pisano depositus fuisset, & circiter viginti duobus annis ante depositionem Constantiæ factam; posthanc enim primò ferme ubique pro Antipapa habitus est: & ante sententiam Pisanam, adeò nulla certitudo infallibilis habebatur, quòd verus Papa non fuerit, ut potiùs fortes rationes, & potentes conjecturæ in magna mundi parte persuaserint Christianis, illum fuisse talem. Sic juxta ipsum Sanctum Antoninum, qui semper pro Gregorio erat zelantissimus contra Benedictum, juxta Cardinales de Turre cremata & Bellarminum, juxta Gregorium de Valentia, & juxta Viros in omnibus Nationibus doctissimos, obedientia illi tanquam vero summo Pontifici, securè in Conscientia præstari potuit: & Joannes Gerson, qui inter omnes Doctores fortissimè atque utilissimè pro stabilienda unione Ecclesiæ laborabat, addit: In schismate præsenti tam dubio, temerarium, injuriosum, & scandalosum est, asserere, omnes tenentes illam partem vel alteram, vel omnes mortales etiam absolutè, esse universaliter extra statum salutis, vel excommunicatos, vel rationabiliter de schismate suspectos.

Andr. Vitorel. in Ciacon.

Anton. 3. p. t. 22. c. 2. Turrerem. L. 4. c. 19. Bellar. L. 4. c. 14. de Rom. Pontif. Greg. de Valent. t. 3. in D. Thomam.

Gerson. t. 1. de modo se habendi in schis.

Cæterùm, post mortem Petri de Luna credendum videbatur deplorabile illud schisma penitus exstinctum esse, quod ille tam longo tempore fovit: sed injusta & vehemens passio Alphonsi Regis Arragoniæ vitam ei reddidit, ut novum Pontifici Martino Rivalem stimulô vindictæ opponeret, quòd ab eo investituram Neapolitanam impetrare non valuerit. Princeps iste vindicativus, qui sinè scrupulo suam Religionem proprijs suis accommodabat lucris, voluit, ut illi duo soli Cardinales, qui Petrum de Luna nunquam deseruerunt, successorem illius eligerent, prout ipse moriens illis præceperat. Annus 1423. Ambo itaque, jucundâ satis comœdiâ se velut in Conclavi occluserunt: ubi evidenter non poterant sacrum Collegium repræsentare, cùm juxta Dictamen Orbis universi, duo facere non possint Collegium. Aliunde, impossibile erat, unum pluribus eligi suffragijs, nisi proprio suo accedente, quod tamen pudor vetabat; ideò concluserunt, Papam extra existimatum Collegium & Conclave, eligendum esse; & reipsa quemdam Canonicum Barcinonensem elegerunt Ægidium Mugnos Nobilem Arragonem, Doctorem Canonum, qui magnam sibi existimationem à doctrina & sapientia comparavit, cujus ductu, consensum primò in electionem adeò malè fundatam, renuebat; sed robore carebat, ad resistendum diu absoluto sui Regis mandato, qui eum tandem compulit, ut se, passioni Principis sacrificare, & ornamenta Pontificalia Paniscolæ assumere debuerit, sub nomine Clementis VIII.; atque ità functiones omnes summorum Pontificum obibat: imò, ut congruum haberet Consistorium, etiam Cardinales creavit, inter quos, nè quidquam de consuetudinibus Pontificum negligeret, suum Nepotem ad eam dignitatem promovit. Sic igitur, cùm Alphonsus esset Rex Arragoniæ, Valentiæ, Sardiniæ, & Insulæ Siciliæ, periculum visebatur, nè hoc Idolum pro Pontifice agnosci vellet, in quatuor illis Regnis, ubi potentiâ suâ obedientiâ sibi ab omnibus præstandam procurare poterat, & hac ratione schisma novas vires acquireret, seque in alias vicinas Provincias funesta contagione propagaret, si vel modicam Principes & Respublicæ offensam à Pontifice Martino reciperent.

Surit Marian. l. 20. c. 14. Panvin. Ciacon.

Andr. Vitorell. ap. Ciacon. ex M. S. Mol. Hadr.

Et profectò parum abfuit à gravissimis perturbationibus, ex periculosis molitionibus, quas Alphonsus contra illum cudebat in novo Concilio, quod illo tempore juxta Decretum Concilij Constantiensis, erat celebran-

Annus lebrandum. Ticinum Pontifex il-
1423. lud convocaverat, prout in uno De-
Platin. in creto se obstrinxit: sed duobus ab eo
Mart. V. inchoato mensibus, peste cogente,
Cod Victor Senas erat transferendum, invitatis
M S. apud & rogatis Principibus Christianis, ut
Spond. Ep. eò suos Prælatos, & Doctores mit-
Mart. ad terent, ad collaborandum unanimi-
Alph. ap. ter pro grandi negotio reformatio-
Raynal. nis, quod Constantiæ absolvi non
poterat, conficiendo. Alphonsus
Annus hac occasione utendum ratus, in per-
1424. niciem Martini, si fieri posset: suos
Platin. misit Legatos, qui occultis molitio-
Marian. l. nibus, ità operabantur, ut alios pe-
20. c. 14. cunijs, alios promissis lucrifecerint, & periculosam adversùs Pontificem conflaverint factionem, magnúmque strepitum excitaverint, duas proponendo quæstiones, quas ante omnia examinari postulabant; primò: an electio Martini esset legitima? quòd permulti, ùt inquiebant, assererent Pontificem Benedictum injustè damnatum, atque evidenter
Pag apud contra Canones depositum fuisse. Se-
Raynal. cundò: etiamsi concederetur eum
hoc anno. legitimè electum esse, ab illo ipso re-
n. 6. formationem inchoandam esse, & declarandum, prout Constantiæ factum est, quòd Pontifex etiam verus, atque legitimus Concilio subesse debeat.

Hæc sinè magno tumultu fieri non poterant, & Legati Arragones ex parte sua, omnes conatus ad illum augendum adhibebant, plurima contra Martinum objiciendo, quærentes super omnia Patres inducere, ipsorummet utilitatis & authoritatis causâ, ad cognoscenda, & examinanda, quæ contra Martinum proferebantur.
Act. Con- bantur. Sed tandem fortior, atque
cil. Senens. etiam sanior, meliorque pars præva-
ap. Rayn. luit, quæ pro Pontifice stabat; qui
Cod. M. S. interea Româ exire, & hoc tumultu
Victor. durante Senas venire, cavebat: cujus Legati, Archi Episcopus Candiæ, & Episcopus Spoletanus res ità disposuerunt, ut, post confirmata omnia, quæ in Concilio Constantiensi contra Hæreticos, & Schismaticos, maximè autem contra Petrum de Luna acta fuerunt, Concilium ex- Annus
presso jussu Martini abruptum sit, 1424.
prætextu quidem periculi à peste im- Act. Concil.
minentis, re ipsa tamen, nè Arrago- Senens.
nes Legati novas excitarent perturbationes. Quoad reformationem, cura illius, Pontifici relicta fuit, qui eam, quantùm posset, salutaribus legibus procuraret, expectandum interim censebatur, ad eam communibus studijs elaborandam, Concilium Generale, quod intrà septennium Basileæ celebrandum, indicebatur: in quo tamen, morte superveniente, comparere non potuit Martinus.

Alphonsus intereà magis quàm antehac exasperatus adversùs Pontificem, Schisma in Hispania semper
fovebat, illudque stabiliendum in Ita- Annus
lia, minabatur; quò reversurus erat 1425.
cum tota sua potentia, cùm primùm negotia, quæ illum in Arragoniam avocârunt, absolvisset. Martinus igitur, qui periculosas ab odio inimici tam formidabilis, prævidebat & metuebat, sequelas, omni studio media quærebat eum placandi: quem in finem, Cardinalem de Foix cum ampliore, quàm alij Legati unquam habuerint, potestate in Arragoniam
expedivit. Magnus iste Vir omnem Annus
suam industriam, cum incredibili pa- 1426.
tientia in sua Legatione ultra quadri-
ennium impendere debebat. Rex Act. Legat.
enim, ex hac occasione volens pro- Car. Fu-
ficere, dici ei curavit, dum in Occi- xen. ex
taniam veniret, nè ultra progrede- Cod. M. S.
retur, declarando, se nullatenus pos- Vatic. ap.
se illum pro Legato agnoscere, an- Bzov. hoc an. & seq.
tequam Pontifex, contra quem vehementer conquerebatur, suis annuat postulatis, quæ tamen iniquissima erant: & quantumcunque instantes preces iteraret Legatus, ut saltèm in conspectum Regis veniret, id tamen obtinere non valebat; solùm tandem illi concessit, ut Legatione sua Balagieræ fungeretur; sed cum adeò duris conditionibus, ut eas acceptare nequiverit, atque ità integrum annum in terris Comitis de Foix, fratris sui transigere debuerit, Rege semper inflexibili manente.

Annus 1426. Anno sequente res magis exasperatæ fuerunt: Cùm enim Legatus, nonnullos de sua comitiva Prælatos, ad illum cum certis propositionibus misisset, postquàm illos diu moratus fuisset, & magno cum contemptu duriter tractâsset, tandem ea ratione respondit, quæ satis indicabat, exiguam illi esse curam sanctæ Sedis, ejúsque authoritatis, minimam verò Pontificis Martini: eodémque tempore Edictum publicari jussit, quô subditis suis, & maximè omnibus Regnorum suorum Prælatis, sub pœna confiscationis omnium bonorum prohibebat, nè ullam Bullam Romanam acceptarent, neque ullum haberent commercium cum Legato, cui hæc pariter intimari curavit. Pontifex etiam ex parte sua existimans, porrò dissimulandum non esse, contra illum tanquam schismatis fautorem, sententiam excommunicationis, & interdicti per omnes ditiones ipsius solemniter pronuntiavit; ità ut animis tantopere jam exulceratis, utrinque in tam patente discordia, ubi asperâ viâ facti procedebatur, reconciliatio videretur impossibilis.

Sed sive ardor passionis in Alphonso aliquantùm remiserit, postquàm ultra duos annos Cardinalem Legatum acerbè tractâsset; sive totius Christianitatis odium incurrere formidaverit, si solus schisma fovere non desineret, quod toti mundo, & plerisque subditis ejus erat in horrore; certum est, quòd mentem, ubi minimè sperabatur, mutaverit, dum, qui antecedenter nullam admittere volebat conferentiam, quam Legatus instanter postulabat; ipse ad eum misit, dum adhuc apud fratrem suum degeret, rogavitque, ut Valentiam ad conferendum de rebus suæ Legationis, veniret. Cardinalis miratus, tam benignam invitationem, quam non expectabat, cum debita observantia eam suscepit, & in comitiva numerosæ, magnæque Nobilitatis, atque apparatu splendido iter ingressus, die vigesimô tertiô Augusti, Valentiæ magnificè cum omni pompa solemni, qualis observari solet in publico Legatorum ingressu, ad honorandum in eorum personis Vicarium JESU Christi in terris, receptus est, ubi peculiare fuit, & planè insolitum, quòd Rex ipse, quasi non ampliùs Alphonsus ferox, & superbus, qui erat, & cuncta suis adsterni pedibus volebat, ei extra Urbem occurrerit, & tam officiosè, ac demissè illum susceperit, ut etiam dexteram contra omnem Legati renitentiam ei præbuerit, atque à sinistris ejus, detecto capite processerit, quousque Cardinalis Galerum suum non apposuisset. Annus 1426.

Sed Alphonsus, brevì priorem suam induit ferociam, propter actionem Legati, quam ùt ùt sapiens, extra tempus, cum periculo subvertendi omnia, fecit. Die námque altero à suo adventu, in portis Ecclesiæ majoris, & sui Palatij, intimationem affigi curavit, quòd sui Auditores & Judices causarum Ecclesiasticarum, quos Româ secum adduxerat, inchoaturi sint post biduum sessiones, ad justitiam administrandam litigantibus. Rex admodùm offensus, uti supremi solent Principes, ubi eorum attingitur authoritas, ausum istum, pro manifesta jurium suorum infractione, interpretatus est: præterquàm, quod hâc viâ facti solemniter decideretur quæstio, de qua tractandum erat, an videlicet in Arragonia agnoscendus esset Martinus Papa pro legitimo ac vero Pontifice, & obedientiæ Clementis VIII. renunciandum. Quapropter tolerare hanc speciem insultationis non valens, illico ad clangorem tubarum promulgari jussit mandatum, quô sub gravibus pœnis vetabat subditis omnibus, recursum ad ullum Judicem delegatum, vel subdelegatum Romani Pontificis, vel ejus Legati, nec ullam eis præstandam esse obedientiam præcipiebat. Cardinalis errorem suum, sed aliquantùm serò, animadvertens; illum tam sapienti, & tam submissa agendi ratione reparavit, nihil

Annus 1426. nihil querulando, & impetuoso torrenti cedendo, quô abripiendus erat; si restitisset, ut tandem placaverit Regem, qui submissione sola conciliari poterat: quare post complures congressus conventum est, quòd Legatus ipse Romam deportaturus sit conditiones pacis, utrinque propositas, quæ in ejus reditu, allatis responsis Pontificis, esset concludenda.

Legatus nomine Pontificis petebat; Rex efficeret, ut Ægidius Mugnos cum suis Cardinalibus spontè renunciént suis existimatis dignitatibus, vel eas in manus resignent Pontificis: ut Edicta omnia contra authoritatem Pontificis, & sanctæ Sedis edita, revocet; ut sinat Ecclesiam Romanam, & alios omnes in suis Ditionibus frui suis Juribus, & Privilegijs: ut omnes relegati, & spoliati in causa sanctæ Sedis, bonis suis restituantur. Rex in has omnes conditiones facilè consensit, exceptis nonnullis proscriptis, quos redire nolebat. Sed quoad præcipuum articulum, qui erat; Quòd Rex deinceps nihil sit acturus, contra Regnum Neapolitanum, & quòd prætensiones, quas ad illud se habere putaret, committere velit arbitris non suspectis à Pontifice nominandis; ad hoc vacillando respondit: negotium hoc majoris esse deliberationis.

Ex altera parte conditiones, quas Rex postulabat; erant sequentes: ut Corpus Sancti Ludovici, quòd Massiliâ expilatâ abstulerat, retineat; ut sibi cedantur omnia Jura Cameræ Apostolicæ competentia, usque ad diem conclusæ, & signatæ pacis: ut sibi ad tempus vitæ omnia condonentur, quæ pro Regnis Siciliæ, atque Sardiniæ à sancta Sede dependentibus, singulis annis solvenda essent; solúmque teneatur singulis quinquennijs, in recognitionem offerre unam trabeam aurô textam: ut sibi solvantur centum quinquaginta millia florenorum pro expensis, in obsequijs Ecclesiæ factis. Ut sibi cedatur Castrum Paniscolæ, quod Petrus de Luna Ecclesiæ Romanæ donaverat, cujus Dominum se esse dicebat: ut nominationem habeat omnium beneficiorum in suis Ditionibus, usque ad conclusionem pacis vacantium: ut duo sibi dentur Galeri pro duabus personis, quas Pontifex eligere poterit è sex illi proponendis: tandem, ut sibi, cúnctisque suis subditis absolutio detur ab omnibus censuris, quas fortè incurrerunt, & ex Regestis eradantur sententiæ omnes contra se Romæ pronuntiatæ, tanquam nullæ, & subreptitiæ. Annus 1427.

Sic nimirum Alphonsus ille Magnus illudebat Religioni, qui idolum, quod in una rupe suæ ditionis adhuc adorabatur, fabricavit, ut suis emolumentis unionem Ecclesiæ, de pace ejusdē ignominioso mercatu, & tā altô pretiô negotiando sacrificaret. Legatus nihilominùs, ut opus tam necessarium pro bono Christianitatis universæ absolveret, conditiones adeò exorbitantes voluit superare, sperans eas à Pontifice ad majora mala evitanda, comprobandas. In media itáque hyeme cum tribus Regis triremibus discessit, & post toleratas horribiles tempestates, summáque interitûs discrimina, etiam sub oculis Antipapæ, qui eum è fenestra Castri Paniscolæ, jam jam fluctibus obruendum spectavit, Romam tandem difficillimè appulit initiô anni sequentis, qui, cùm pestis sacrum Collegium dissipâsset, ídque congregari sæpè non potuisset, totus ferme deliberationibus, de conditionibus sanctæ Sedi tam præjudiciosis, erat impendendus. Demum postquàm Pontifex illas ferme omnes, cum quibusdam limitationibus approbâsset, eásque Rex acceptâsset, ad quem idcircò durantibus deliberationibus sæpè mittendi erant nuncij; Legatus itinere terrestri anno sequente, qui erat schismatis postremus, reversus est. Annus 1428.

Receptus fuit ab Alphonso & Joañe Rege Navarræ fratre suo, Barcinone, cum majore quàm Valentiæ magnificentia. Sed quando de Tractatu pacis jam convento, loquendum erat, Annus 1429.

Annus 1429. rat, Rex, vel illum penitus evertere cupiens, vel à Pontifice adhuc plura obtinere, semper alloquium Legato differebat, & postquàm diu de Urbe in Urbem post se illum traxisset, prætextu rerum pro gerendo adversùs Regem Castiliæ bello, disponendarum, tandem pridie sui abitûs ad se admisso dixit, nunquam se revocaturum Edicta contra Jurisdictionem Pontificis, & Legatorum in suis Regnis edita, nisi priùs Bulla publicetur, quâ omnia, quæ durante schismate fecerat, excusentur, atque etiam approbentur. In hoc Legatus nunquam consentire volebat, & reponebât, conferri illi bene posse àbsolutionem, quam desiderabat, non tamen ipsius schisma Paniscolæ approbari; quod nec ipse in Tractatu pacis petebat. Sic Rex die altero abiturus, cùm in hoc articulo magis obfirmatus esset, quem Legatus constanter juxta Pontificis mandata renuebat, nihil ferme dubitabatur, quin concordia penitus esset desperata, & consequenter Schisma resumeret vires, ad novas Ecclesiæ strages inferendas. Legatus nihilominùs postremum adhuc adhibere voluit conatum, resolutus, si nihil obtineret, ad extrema procedere, & Regnum interdicto subjicere.

Sequenti ergo die Regem accessit; eô planè tempore adveniens; quô Rex jam è suo Conclavi ad atrium descenderat, equum conscensurus, & ad suum Exercitum perrecturus. Videns Legatum appropinquare, illicò substitit, tanquam à Cardinali, & cognato suo, postrema valedictionis officia recepturus. Sed eô ipsô momentô mirabilis Divinæ Potentiæ inclaruit effectus, quæ pro suo triumphat placito de magis obstinatis, & rebellibus mortalium voluntatibus, illos suaviter efficaci, submittendo amabili gratiæ suæ imperio, nihil tollendo de propria, quam in se ipsas habent, libertate; sed integrâ illis relictâ, ut ingenuè, atque nobiliter, non verò serviliter, sub imperiosa necessitate operentur. Cùm enim Legatus brevem sermonem suum inchoaret, & ea, quæ in Legatione passus est, patheticè, simul & reverenter exponeret; Alphonsus derepentè mutatus, suprema illius potestate, in cujus manu corda Regum sunt, eàque pro suo flectit arbitrio; sermonem interrupit, & apprehensa Legati manu, satis est, inquit, Domine Legate, scio vestra incommoda, quæ suscepistis, & mala quæ tolerâstis ultra quadriennium in tam molesta Legatione pro Gloria DEI, & pace sanctæ Ecclesiæ, & pro mea salute. Idcircò, ut satisfaciam DEO, Ecclesiæ & Vobis, amore Vestri, Domine Cardinalis, & ex consideratione Prosapiæ Vestræ, Vobis declaro, me velle omnia exactissimè exequi, quæ promisi, & mox hunc Tractatum signare; quod illicò fecit. Post hæc, Rex Alphonsus, & Rex Navarræ Frater ejus, Legatô ad medium acceptô, simul ad Ecclesiam processerunt, & *Te DEUM* in gratiarum actionem DEO pro conclusa pace, decantari curârunt, omnibus præsentibus in uberes lachrymas solutis præ gaudio, ex tam subitanea & mirabili mutatione cordis Alphonsi; qui posteà duobus Consiliarijs suis mandata dedit, Paniscolam deferenda: & recepta à Legato summa cum reverentia & pietate, Benedictione, conscenso equo ad suum abijt Exercitum. Annus 1429.

Ex altera parte Legatus DEUM benedicens, qui suos benedixerat labores, tam beato fine illos coronando, nunquam in sua Legatione expectato, desuper in Castiliam excurrit, ad jacienda illic pacis fundamenta, quam posteà feliciùs confecit, & in Arragoniam reversus, præstolabatur semper nova de ijs, quæ Paniscolæ agerentur, ubi bonus Vir Ægidius Mugnos, sicut Pontifex transvestitus & scenicus erat atque invitus, ità sinè difficultate omnia, quæ postulabantur, præstitit. Cùm primùm enim ex duobus Commissarijs Regis voluntatem intellexisset, quòd desideraret, ut liberè, ac spontaneè Pontificatum

Annus 1429. ficatum deponeret, lætitiâ suâ & gaudiô abundè ostendit, se illi nunquam affixum fuisse. Voluit nihilominùs sepelire, ut ità dicam, cum honore Synagogam Paniscolæ, obeundo cum singulari Majestate hanc postremam sui existimati Pontificatûs actionem, ac si verus fuisset Pontifex: Ideò, cùm nonnisi duos apud se haberet Cardinales, duobus alijs in carceribus ab eo detentis, propter novum Schisma, de quo contra ipsum quasi attentati, accusati fuerunt, tertium adhuc promovere statuit, nempe Franciscum Rueram famosum Doctorem Canonum, qui à Commissarijs Regijs ad acceptandum Galerum, licèt invitus cogebatur, cùm Clemens protestatus fuerit, se actum suæ renuntiationis non facturum, nisi Virum tam idoneum faceret Cardinalem, ut videlicèt, quemadmodum dicebat, electio novi Pontificis, sede per suâ renunciationem vacante, magis ordinatè bonis Consilijs procedat, quæ novus Cardinalis suis Collegijs dare poterit. Oportebat igitur acceptare Galerum, quem Clemens illi publicè cum omnibus magnificis Cæremonijs, quales Romæ in tali functione adhiberi solent, imposuit. Postmodùm Thronum conscendit cum Tiara in capite, omnibus ornamentis Pontificalibus, uti in maximis solemnitatibus, indutus, assistentibus sibi tribus Cardinalibus, & duobus Commissarijs, quos tanquam Legatos Regis tractabat, & paulò inferiùs omnibus Officialibus, similibus illis, qui in Romana Curia serviunt. Aula tota, in qua Consistorium istud celebrabatur, innumerabili populi repleta erat multitudine, undique ad hoc spectaculum concurrentis, quale nunquam ibi adhuc visum est. Ibi functionem hanc ab actu authoritatis, & instar supremi Pontificis inchoavit, revocando omnes sententias excommunicationis, & depositionis, quas ipse, & Benedictus XIII. Prædecessor suus fulminârunt contra illos, qui eorum detrectabant obedientiam, & specialiter contra Othonem Columnam, in sua obedientia Martinum V. appellatum, tanquam contra schismaticum, & Antipapam: quòd illos omnes rehabilitet motu propriô, præsertim Othonem Columnam, & declaret, eum elevari potuisse ad omnia officia & dignitates Ecclesiasticas, etiam ad summum Pontificatum. Posteà brevem protulit de sua ad Pontificatum exaltatione sermonem, & protestabatur, se illum non acceptâsse, nisi ut aliquando Ecclesiam DEI stabilire posset in plena & solida pace, voluntariâ suâ, quam facturus erat, cessione, quam etiam citiùs executus fuisset, si eâ, quam tunc habebat, libertate uti potuisset, ad schisma viâ cessionis exstinguendum; confitens expresè, viam renunciationis ejusmodi, esse viam planiorem, utiliorem, securiorem, & breviorem, ad consequendam veram & indubitatam unionem Ecclesiæ DEI. Et postquam iterum protestatus esset, se in plena constitutum esse libertate; declaravit viva voce & scriptò, se hoc agere ex solo motivo Gloriæ DEI, & pacis Ecclesiæ, quæ post hanc suam actionem indubitanter sequetur; se proinde ex toto corde Pontificatui renuntiare; sedem esse vacantem, & Cardinales posse liberè, atque Canonicè ad novam procedere electionem. Annus 1429.

Act. Legat Cardin. Fuxen. ex Cod. M. S. Vatic. ap. Bzov. hoc ann.

Post hæc descendit de Throno, & in manus Legatorum consignavit Bullam suæ renunciationis in bona forma, Legato extradendam; recepit se in cubiculum, ex quo, depositis vestimentis Pontificalibus, redijt in Aulam vestitu more simplicis Presbyteri & Doctoris, cùm non ampliùs esset Clemens VIII. sed tantum Doctor Ægidius Mugnos, cui Pontifex jam destinaverat Episcopatum Majoricæ: locum cœpit post Cardinales, eósque rogavit, ut quantocyùs Ecclesiæ de bono Pastore providerent. Isti mox assurrexerunt, & à Simone de Prés, qui se Camerlingum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dicebat, locum sibi pro Conclavi assignari pe-

Ep. Mar PP. ad Alph. Reg. ap. Rayn.

Annus 1429. tiverunt: iste illos cum Cæremonia, sequentibus omnibus Officialibus, ad præparatum deduxit locum. Ibi occlusi fuêre, Custodiæ appositæ, & omnia quæ Romæ in Conclavi pro eligendo Pontifice observantur, fiebant. Deinde tres illi Cardinales totum sacrum Collegium, ùt dicebant, repræsentantes, mox quasi per inspirationem Sancti Spiritûs, Othonem Columnam elegerunt, eúmque Pontificem, sub nomine Martini V. promulgârunt, omnésque ad Ecclesiam Civitatis processerunt, ad reddendas DEO Gratiarum actiones; Doctor Mugnos in Processione post Cardinales & Officiales, qui suum adhuc servabant ordinem, magna cum ædificatione omnium sequebatur. Sic denique magnus ille dies vigesimus sextus Julij Paniscolæ, Festô S. Annæ terminatus est, quo tandem nonnisi unica fuit obedientia, & unus Pontifex, & post paucos dies unicum etiam Cardinalem Collegium.

Legatus his novis acceptis ad Civitatem S. Matthæi, tribus leucis Paniscola, veniens, Ægidium Mugnos, & illos, qui Ei sub nomine Clementis VIII. obediebant, & ad præstandam obedientiam in sua Persona Pontifici Martino V. advenerant, benignè recepit, & ab omnibus censuris, quas incurrerunt, absolvit. Tres Cardinales, & duo adhuc incarcerati, à Legato dimissi, omnésque Officiales antiquæ Curiæ, Benedicti, & Clementis, suas dignitates & munia, unus post alterum, actis authenticis, diversis diebus, partim in Civitate Sancti Matthæi, partim Paniscolæ, deponebant usque ad diem vigesimum quartum Augusti. Hic ille dies fuit, quô, propriè loquendo, desijt magnū Schisma Occidentis, quod à die vigesimo primo Septembris anni millesimi tercentesimi septuagesimi octavi, quô Clemens appellatus VII. Fundis electus fuerat, usque ad diem vigesimum quartum Augusti, hujus anni millesimi quadringentesimi vigesimi noni, quô Cardinales hujus Antipapæ Clementis VIII. se ipsos deposuerunt, & suos Galeros in manus Legati Apostolici consignârunt; duravit annis ferme quinquaginta & uno, quin unquam ex integro potuerit exstingui aliter, quàm per viam cessionis & renuntiationis voluntariæ illorum, qui illud poterant vel continuare, vel resuscitare, prout in præsenti retulimus Historia. Annus 1429.

A. M. G. D.





